

non cognosceretur quantum est cognoscibilis, adeoque non comprehenderetur, sed tunc tantum cognosceretur ut omnium causa a posteriori per effectus, & non in se ipsa. Prob. Minor pro 2. parte. Cognitio dicitur infinita ex infinitate sui objecti primarii, primarium autem objectum cognitionis est essentia, seu quidditas: si ergo objectum non sit infinitum in essentia, sed in alio genere, puta quantitate, non ideo cognitio erit infinita. Omnia autem possibile, etsi forent infinita in multitudine, essent tamen finita in essentia, seu quidditate, clauderentur enim sub certo genere, & differentia: & dato quod aliquid esset infinitum secundum essentiam, cognosceretur finito modo sicut Deus, quod non arguit infinitam cognitionem.

Potes, utrum sit absolute impossibile, Deum videri ut est in se, nulla visa in eo creatura?

R. Impossibile est absolute, Deum videri ut est in se, non visis in eo creaturis secundum rationem communem entis creabilis: quia Deus non potest videri ut est in se, quin videatur ejus omnipotentia, & eminentialis continentia creaturarum, quam implicat cognosci, non visa ratione entis creabilis.

Non videtur tamen absolute impossibile, Deum ut in se est cognosci, nulla visa in eo creatura in particulari: quia essentia Dei est omnino absoluta, & independens a qualibet creatura in particulari, potuit enim nullam creare: ergo nec implicat, quod videatur, nulla visa creatura in particulari, modo videatur ratio entis creabilis in communi: sicut non implicat quidditative cognoscere potentiam creatam, puta potentiam visivam, absque eo quod illum coloratum in particulari cognoscatur, modo cognoscatur in communi rationem colorati. Adde, quod creature non sunt nisi objectum secundarium visionis beatificae: non implicat autem, objectum primarium videri sine secundario. Et ideo dixit S. Thomas, quod, si solus Deus videretur, qui est fons, & principium totius esse, & veritatis, ita repleteret naturale desiderium sciendi, quod nihil aliud quaeretur, & videns Deum esset Beatus. Unde, cum quaest. 8. de verit. art. 4. ad 13. videtur supponere id esse impossibile, censet Doctiss. Sylvius, S. Doctorem esse intelligendum de impossibili secundum legem ordinariam, & presentem statum, non de impossibili secundum potentiam absolutam; siquidem hic eadem repetat absolute absque dicta clausula.

Si dicas, Beatum se saltim in Deo visurum, cum illum videret, & possideret ut suum ultimum finem. Respondet laudatus Sylvius, resolutionem esse intelligendam sub exceptione videntis, & ejus visionis, hoc sensu scilicet, quod non sit impossibile Deum videri, nulla visa creatura, quae non sit ipse videns, aut ejus visio. Censet tamen Serra, hanc exceptionem non esse necessariam, & posse Beatum videre Deum absque eo, quod ipsa visio videat in particulari Deum esse suum ultimum finem; sed sufficere ad eum quietandum, quod ipsa visio videat Deum esse finem omnis creaturae, & alia visione extra verbum cognoscat Deum esse suum finem ultimum in particulari.

ARTICULUS XI.

Resolvitur quaedam leviores difficultates ad complementum quaestionis S. Thomae.

Quaeritur 1. Utrum ea, quae Beati vident, videant per aliquas similitudines?

R. sub distinctione: quae videntur in verbo formaliter, non videntur per similitudines, seu species proprias, sed per ipsam Dei essentiam, per quam Deus videtur; quia non videntur in propriis naturis, sed in Deo in quo praexistit eorum similitudo exemplaris seu idealis, & efficiens. Quae vero videntur in verbo causaliter, seu potius extra verbum, videntur per proprias species aut similitudines, propter oppositam rationem. (Hic art. 9. a.)

Quaeritur 2. Utrum ea, quae Beati vident in Deo, simul ab initio videant?

R. sub eadem distinctione. Quae videntur in verbo formaliter, videntur simul; quia omnia videntur unico actu per unam speciem omnino invariabilem, tunc in representando, quam in essendo; scilicet per Dei essentiam. Unde Aug. ultimo de Trinit. c. 16. in fine dicit: Volubiles non erunt cogitationes nostrae ab aliis in alias euntes, atque redeuntes, sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus. Quae vero videntur in verbo causaliter per species proprias, & diversas, non videntur simul ab initio, sed successive, propter oppositam rationem. Et hoc ultimo modo, verisimile est, Beatos cognoscere preces ad se fusas; quia, si simul ab initio omnes omnium preces ad se fundendas viderent in verbo formaliter, jam cognoscerent diem iudicii; quia noscerent, qui sint futuri ultimi hominum, qui ipsos invocabunt, quae ultimae eorum preces, quam ardentis in ipso conflagrationis mundi tempore, &c. (Ib. art. 10. o. & ad 2. & q. 8. de verit. art. 4. ad 13. & alibi.)

Quaeritur 3. Quae sit mensura visionis beatificae?

R. Visio beatifica mensuratur aternitate participata. (Hic quaest. 10. art. 5. ad 1. art. 3. ad 1. & 3. contr. gen. c. 61.)

Prob. Visio beatifica non mensuratur neque tempore, neque aere, neque aternitate essentiali: ergo aternitate participata. Patet consequentia; quia non sunt aliae mensurae durationis rerum. Prob. Ant. Tempus est mensura durationis rei successive, & variabilis secundum esse, & operari: xvum est mensura rei invariabilis secundum esse, variabilis secundum operari: aternitas essentialis est mensura rei invariabilis secundum esse, & operari, tam ab intrinseco, quam ab extrinseco; atqui visio beata non est ullo modo successiva aut variabilis ex intrinsecis; tum quia est tota simul; tum quia ejus principia scilicet lumen gloriae, & divina essentia gerens vires speciei non subjacent successioni aut variationi: est tamen variabilis ab extrinseco, sicut enim incipit esse, ita potest desinere, Deo suum concursum suspendente: imo, sicut est diversa in diversis, sic nihil repugnat, quin de potentia Dei absoluta in eodem subjecto minuat vel augetur: ergo.

Quaeritur 4. Utrum creature videantur in Deo, tanquam in speculo?

R. Id quandoque affirmari a D. Th. sed intelligendum est de speculo metaphoricè, & secundum quid; quatenus nempe essentia divina representat creaturas, quod facit speculum: non vero de speculo simpliciter, & proprie dicto; quia speculum proprie dicitur recipit species a rebus, non sic Deus.

Quaeritur 5. Utrum per rationem naturalem possimus in hac vita Deum cognoscere?

R. Nos non posse per rationem naturalem, cujus cognitio oritur ex sensibilibus, noscere Dei essentiam, seu quoad quid est; posse tamen cognoscere quoad an est, & quod sit prima omnium causa. Patet ex dictis hic, & alibi de existentia Dei. (Hic art. 13. a.)

Quaeritur 6. Utrum cognitio, quae habetur de Deo per gratiam, perfectior sit, & altior, quam ea quae habetur per rationem naturalem.

R. Affirmative; quia lumen naturale intellectus confortatur per infusionem luminis gratuiti, & aliquando phantasmata formantur divinitus in imaginatione hominis magis experimentata res divinas. (Ibid. art. 13.)

De tempore, quo Sancti donantur visione beata, dicemus in 1. 2. dum de ultimo fine.

ARTICULUS XII.

De Nominibus Dei D. Thom. Quaest. 13.

Cum ea, quae docet S. Thomas in 12. articulis quaestionis 13. parè tractantur in Scholis, praecipua per quasdam quaestiones brevitè resolvemus. Unde

Quaeritur 1. Utrum possit imponi aliquod nomen Deo, quod ipsum ut est significet?

R. A nulla creatura possibili potest Deo imponi nomen, quod ipsum adequatè, & comprehensive significet: potest tamen ab Angelis, & Beatissimis, non a viatoribus imponi nomen, quod ipsum quantitative significet; possunt tandem a viatoribus plura ei nomina imponi, quae diversas ejus perfectiones imperfectè significant.

Tota haec responsio prob. hac ratione, fundata in Philosophia 1. Perhinc c. 1. quod nomina non significant res nisi mediante conceptu imponentis, seu loquentis; sunt enim ejus conceptuum signa, & expressiones; & ideo mentitur, qui contra mentem loquitur: ergo nomina, dicta, vel imposita ab aliquo, tantum, & non magis quidditatem rei significant, quam eam concipit. Subsumo; atqui nulla creatura possibilis potest adequatè, & comprehensive Deum cognoscere: Angeli, & Beati, non tamen viatores, ipsum quidditative cognoscunt: viatores tandem ipsam, & varias ejus perfectiones ex creaturis imperfectè cognoscunt: ergo. (Quaest. 13. art. 1. a.)

Hinc colliges 1. Deum dici ineffabilem, non quod de illo nullus sermo haberi possit, aut nullum nomen ipsi imponi queat a creaturis; sed quod a nulla creatura possit imponi nomen ejus naturae comprehensivum, nec a viatoribus ullum quod perfectè ejus quidditatem significet ad sensum 1. & 2. partis responsionis.

Colliges 2. Quod, cum triplici via Deus a nobis cognosci possit. 1. per viam remotionis, dum ab eo removemus imperfectiones creaturarum. 2. per viam collectionis, dum omnes perfectiones dispersas in effectibus in eo tanquam in omnium causa colligimus. 3. per viam excessus, dum omnes perfectiones creaturarum ipsi modo eminentior, tribuimus; juxta hunc triplicem modum cognoscendi Deum tria nomina genera ei attribuibimus. Juxta 1. modum, vocamus ipsum infinitum, incorporatum, immaterialem, immutabilem, impeccabilem, incomprehensibilem,

lem, &c. Juxta 2. modum, nominamus ipsum omnipotentem, primam causam, provisorem, gubernatorem generalem, &c.; juxta 3. modum vocamus ipsum supersubstantialem, superexcellentem, superpulchrum, superbonum, &c.

Quaeritur 2. Quae sint praecipua Dei nomina?

R. esse tria: scilicet, Deus, Qui est, Jehova seu Jehova. Quia ista tria nomina magis proprie quam cetera divinum naturam significant, non tamen eodem modo. Deus significat naturam divinam simpliciter, seu ut intelligentem; Qui est, ut subsistentem; Jehova, ut incommunicabilem, & singularem, quasi istum Deum. (Ibid. art. 8. & 12.)

Porro hoc nomen Jehova, dicitur Tetragrammaton, seu Quadrilitterum, quod constat quatuor literis, Jod, he, vau, he, ita sacrum ac venerabile erat apud Hebraeos, eo quod existimarent illud esse proprium, & essentialè, ut nunquam vel raro illud pronuntiarent: sed cum inter legendum occurreret, loco illius, ex consuetudine recepta a majoribus, ordinariè usurpabant Adonai, quod significat Dominum. Praeter autem hac tria assignata nomina sunt alia plura innotis nota nomina de Deo imposita apud Hebraeos, quae referunt Dionys. Hieron., & alii.

Id notari dignum observat Gonet, apud omnes formae gentes Dei nomen esse Tetragrammaton, seu quatuor literis constans. Sic apud Hebraeos Jehova, apud Graecos Theos, apud La-

tinus Deus, apud Gallos Dieu, apud Italos Dio, apud Hispanos Dios, apud Germanos, Anglos, & Flandros Goth, seu Goet, apud Aegyptios Theu, apud Persas Syre, apud Magos Orsi, apud Armenos Vors, apud Arabes, & Turcis Alla.

Quaeritur 3. Utrum omnia nomina dicta de Deo sint synonyma?

R. Negative. (Ib. art. 4. o. Ib.) Prob. 1. Nomina synonyma sunt, quae eandem rem, & sub eadem ratione, seu eodem conceptu significant, ut entis, gladius, vestis, indumentum: cum etiam nomina rem significant, mediantè conceptu, primum significatum est conceptus, ultimum res ipsa; consequenter quando plura nomina significant eandem rem sub diversis conceptibus seu rationibus, non habent idem significatum saltem primum, & immediatum; atqui licet plura Dei nomina eandem rem significant, eam tamen significant sub diversis rationibus, & conceptibus; bonitas enim in Deo non significat eandem rationem, eundemque conceptum, quem justitia; etiam in Deo bonitas, & justitia sit idem: ergo.

Confirmatur: plura synonyma sibi invicem adjuncta negationem faciunt, sicut si dicitur: vestis indumentum, entis gladius; atqui admitti non debet, quod Scriptura nugeretur, cum Jer. 33. dicit. Fortissime, magne, potens, Dominus exercituum nomen tibi; similiter aibi: ergo. (Ib. arg. 3. c.)

DISSERTATIO V.

DE SCIENTIA DEI.

D. Thom. Quaest. 14.

Post considerationem eorum, quae pertinent ad divinam substantiam, restat considerandum de his, quae pertinent ad operationem ipsius; & 1. de his, quae pertinent ad operationes immanentes, quae sunt intelligere, & velle. Nec te moveat, quod dixerimus supra, intelligere divinum esse constitutum divinae naturae, siquae pertinet ad divinam substantiam. Hoc ipso enim, quo natura est, etiam pertinet ad operationem, quia natura est principium radicale operationis. Insuper, sic constituit naturam divinam, quod sit etiam operatio sub diversa ratione, ut explicuimus loco cit.; & patebit ex dicendis. Igitur in hac Dissertatione dicemus de his, quae pertinent ad divinam intellectionem; in sequentibus de his, quae pertinent ad divinam voluntatem. (Q. 14. in proam.)

Praenotandum est, (Hic q. 14. cit. & contr. gen. cit.) quod cognitio fiat quatenus cognitum est in cognoscente, non secundum entitatem, id enim est impossibile; sed secundum suam similitudinem, seu representationem; ita quod species rei cognita sit idem prorsus in esse intelligibili, quod est res cognita in esse emittivo; alioquin ipsam non representaret perfecte, & adequate: consequenter species remanet forma rei cognita; nec fit forma cognoscentis, sed potius cognoscens retinendo propriam formam, fit ipsa res cognita in esse intelligibili: unde dixit Philosophus, animam intelligentem fieri omnia. Et in hoc differunt cognoscentia a non cognoscentibus: non cognoscentia enim recipiunt formas alias entitativè, & corruptibiliter non tanquam formas aliarum rerum, sed tanquam suas amittendo proprias; sic v. gr. dum aqua recipit calorem ab igne, iste calor non est idem calor, qui est in igne, sed fit proprius aquae, quae simul amittit propriam formam, scilicet frigus. Sic, dum materia ligni recipit formam ignis, amittit propriam, & ista forma ignis, ab igne producente distincta, fit illi propria: At non sic cognoscentia: haec enim modo elevationi, incorruptibili, & magis immateriali recipiunt formas, non dico alias, sed aliarum rerum, quia eas recipiunt non amittendo proprias, nec ut suas, sed ut aliarum rerum: sic v. gr. dum cognosco lapidem, forma lapidis est in meo intellectu, & remanet forma lapidis in esse intelligibili, nec ego amitto meam, sed cum mea non lapis intelligibiliter. Quod totum his patet verbis complexus est S. Th. hic art. 1. cit. Cognoscentis a non cognoscentibus in hoc distinguuntur; quia non cognoscentia nihil habent nisi formam suam tantum; sed cognoscentis naturam est habere formam etiam rei alterius: nam species cognita est in cognoscente.

Hic praenotatis, sic proponitur ratio D. Th. In tantum ens est cognoscitivum, in quantum est immateriale seu elevatum supra condiciones materiae; atqui Deus est in summo immaterialitatis, upote actus purus: ergo est summè cognoscitivum, consequenter intelligens, quia inter genera cognoscitivorum primum est intelligens. (Ibid.) Prob. Maj. 1. cognitio fit, in quantum cognoscens habet in se formam cogniti retinendo propriam, ut explicatum est in praenotamine; atqui, quod aliquid habet in se formam alterius retinendo propriam, provenit ex immaterialitate, & elevatione supra condiciones materiae: ergo. Prob. Min. Quod aliquid in se habeat propriam, & aliorum formas, provenit ex ejus amplitudine, & illimitatione: quod quidem plura complectitur, eo magis est amplitud, & illimitatum; atqui illa amplitudo, & illimitatio provenit ab immaterialitate, est enim materia, quae formam limitat, & impedit, ne communicetur ad aliud subjectum in eadem ratione individuali, quod est facere suam tantum: ergo. (Ibid.)

Prob. 2. prima Major. Major vel minor facultas cognoscenti

ARTICULUS I.

Utrum in Deo sit Scientia?

Scientia dupliciter sumitur. 1. Latè pro omni cognitione intellectiva, certa, & evidenti. 2. Proprie pro cognitione certa, & evidenti rerum per causas. De utraque quaeritur, utrum sit in Deo?

§. I. Utrum sit in Deo cognitio intellectiva; & eaque sit virtus distincta ab intellectu.

Deo 1. Est in Deo perfectissima cognitio intellectiva. (Q. 14. art. 1. o. & 1. contr. gen. c. 14.)

Est fide tradita in Script. Esther 14. Domine, qui habes omnium scientiam. Ps. 32. Intelligit omnia opera eorum. Roman. 11. O altitudo divinarum sapientiae, & scientiae Dei; & alibi passim.

Imò hac veritas ita ipso naturae lumine clarescit, atque in tantum apud gentes invaluit; ut ab intelligendo nomen Deo imponenter; nam, ut dicit Damascenus l. 1. de fide cap. 11. Theos, quod secundum Graecos Deum significat, dicitur a Theate, quod est considerare, vel videre. (Contr. gen. cit.)

Jure quidem; Deum namque omnes intelligunt ens summè perfectum, primum motorem ordinatissimum, sapientissimum mundi rectorem, & primam omnium causarum: verum absque intelligentia non esset ens summè perfectum, cum haec sit maxima perfectio: foret cæcus motor, & rector imprudentissimus, nec esse omnium causa, cum non confertret nobis intelligentiam, qua careret. (Ibid.)

Praeter haec, unam aliam, & profundiorè rationem proponit hic S. Doctor; quae cum latè pateat, & a pluribus impugnetur, operè pretium est eam, in quantum fas erit, in bona luce collocare. Probat ergo S. Thomas vim cognoscendi, & intelligendi in Deo ex ejus immaterialitate: quod ut facilius intelligas,

di distribuitur secundum majorem vel minorem immaterialitatem, majorem vel minorem elevationem supra conditiones materie: sic, quia forme elementorum, & vegetantium sunt omnino immersae materie, & tam in agendo quam in recipiendo sequuntur conditiones materie, scilicet frigus, calorem, siccitatem, & humiditatem, nullo modo cognoscunt: sensitiva, licet entitativè materialia, quia tamen aliquo modo eleantur supra materiam eique dominantur, eam enim movent ad nutum, & illa utuntur ut instrumento, imperfectè cognoscunt: & inter sensus, qui minus eleantur, minus cognoscunt, ut tactus; qui magis eleantur, magis cognoscunt, ut visus, & præsertim imaginatio: anima rationalis, quia est immaterialior, perfectius cognoscit; Angelus adhuc perfectius, quia est adhuc magis immaterialis: ergo. (Ibid.)

Obijcies 1. Multa sunt immaterialia, quæ non sunt cognoscitiva, ut voluntas, gratia, charitas, & alii habitus infusi. E contra sunt materialia cognoscitiva, ut anima sensitiva: ergo.

R. ad 1. rationem D. Th. maxime procedere de substantiis spiritualibus, quia operari est subsistentium. Accidentia vero immaterialia, quamvis non sint cognoscitiva formaliter, & elicitive, pertinent tamen ad ordinem cognoscitivum sive ut proprietates cognoscendæ, sive ut aliquid consecutum, aut requisitum ad cognoscendum: sic voluntas est inclinatio, consequens intellectum; virtutes morales infusæ sunt habitus hanc inclinationem perfectientes; gratia est radix cognitionis supernaturalis, & sic de cæteris. Et hoc sufficit ad veritatem principii D. Th. Illud enim non probat omnia, quæ sunt in substantia immateriali, esse formaliter, & elicitive cognoscitiva; sed quod ipsa cognoscit, & quod cætera, quæ ad illam pertinent, sint de ordine cognoscitivo.

Ad 2. jam diximus, animam sensitivam eatenus esse cognoscitivam, quatenus est aliquo modo elevata supra conditiones materie: non quod non sit entitativè materialis, sed quia incipit dominari materie eam moventis ut instrumento, & non recipit formas aliarum rerum entitativè, & corruptibilitèr ut potentia merè materialis, sed elevationi modo sine sui corrupti-
one, seu alteratione, & quatenus remanent rerum aliarum forme. (2. de sp. creat. art. 2. v. 2. contr. gent. cap. 68. ad finem.) Tripliciter enim potest sumi immaterialitas. 1. Pro exclusione informationis materie; & sic Angelus est immaterialis. 2. Pro independentia a materia; & sic anima rationalis est immaterialis. 3. Pro excessu supra conditiones materie in agendo, & recipiendo; & sic anima sensitiva est immaterialis; recipit enim species intentionales modo representativo absque sui alteratione, & operatur independentèr a conditionibus materie: sic visio, v. gr. non elicitor calore vel frigore, humiditate, vel siccitate, quæ sunt dispositiones materie. Ad hunc autem modum agendi, & recipiendi eo magis res sunt aptæ, quò magis sunt a materia pure.

Instabis: Aër recipit species intentionales absque sui alteratione, similiter speculum; & tamen non sunt cognoscitiva: ergo.

Respondet Joannes a S. Th. species non recipi in aère, & in speculo ut intentionales, & representativæ, sed tantum ut inhærentes, & informativæ, non secus ac alia accidentia materialia. Respondent Salmanticensis apud Gonet, aërem, & speculum non recipere formas aliorum per identitatem cum illis, sicut recipiunt cognoscitiva. In idem fermè redit cum præcedenti responsione. Respondeo cum Goudin, species visibilibus non recipi formaliter in aère aut in speculo, uti recipiuntur in facultate visiva; sed solum virtus, quæ objectum imprimi speciem, defertur per aërem ut per medium, & a speculo reflectitur ad potentiam visivam, in qua sola ut in propria sede formatur, & residet species visibilis.

Obijcies 2. Si immaterialitas esset ratio cognoscendi, ubi æqualis foret immaterialitas, æqualis foret virtus cognoscendi; atqui falsum consequens: ergo. Prob. Min. Omnes Angeli sunt æquè immateriales, omnes enim dicunt æqualiter negationem materie, & independentiam ab illa; atqui tamen non pollent æqua vi cognoscendi.

R. N. Minorum. Ad probationem, D. Maj. Omnes Angeli sunt æquè immateriales ex parte termini a quo, C. Maj. Ex parte termini ad quem, N. Maj. Etenim immaterialitas non dicit tantum negationem materie, sed aliquid positivum, nempe majorem vel minorem participationem actus puri: Quamvis autem omnes Angeli æqualiter sint independentes a materia, non tamen æqualiter participant de actu puro.

Obijcies 3. Non implicat, a Deo creati substantiam immaterialem, quæ non sit cognoscitiva: ergo immaterialitas non est ratio cognoscendi.

R. D. Ant. Non implicat, a Deo creati substantiam immaterialem, quæ non sit cognoscitiva proximè, C. Ant. quia potest absolute proprietates separari ab essentia. Quæ non sit cognoscitiva radicaliter, N. Ant. Propria enim ejus operatio est

cognoscere, sicut propria operatio animalis est sentire. Unde, sicut implicet creati animal, quod non sit sensitivum saltem radicaliter, ita & substantiam spirituales, quæ pro gradu suæ immaterialitatis non sit cognoscitiva, saltem radicaliter. Confer Diss. 2. art. 1. obj. 1. in solutione instantiæ.

Dico 2. Intellectio, & intellectus in Deo, sunt unum, & idem absque virtuali distinctione. Est plurimum Thomistarum.

Prob. 1. Ex dictis Diss. 2. art. 1. de constitutivo Dei, ubi ostendimus ea tantum distingui in Deo virtualiter, quæ æquivalent pluribus creatis ex objecto formaliter distinctis, & ad diversas lineas pertinentibus; atqui intellectus, & actualis intellectio pertinent ad eandem lineam, & versantur circa idem objectum formale: ergo.

Prob. 2. Intellectus virtualiter distinctus ab intellectu conciperetur cum fundamento in re ut potentialis ad illam, atque ab ea determinabilis, & perfectibilis; atqui id non potest concipi in Deo actu purissimo: ergo.

Obijcies 1. contra 1. rationem: intelligentia seu intellectus primorum principiorum, sapientia, scientia, prudentia, & ars virtualiter distinguuntur in Deo; atqui tamen pertinent ad eandem lineam, scilicet intelligendi: ergo.

R. D. Min. pertinent ad eandem lineam genericè sumptam, C. Min. specificè sumptam, N. Min. Idem enim genus linee partibile est in diversas species, seu modos, ex diversitate objecti formalis. Porro idem est objectum formale intellectus, & intellectiois, scilicet essentia divina, ut habet rationem veri, & primi intelligibilis. Diversa sunt autem objecta formalia intelligentie, scientie, prudentie, & artis. Objectum formale intelligentie est divina essentia, ut absolute in se cognoscibilis. Objectum formale scientie est essentia divina ut causa; prudentie ut ratio agibilibus; artis ut ratio faciendibilium. Quamvis ad sapientiam, non videtur distingui a scientia in Deo; quia scientia divina est per altissimum causam, & consequenter sapientia. Quamvis autem non omnis scientia sit sapientia, potest tamen aliqua scientia esse sapientia.

Obijcies 2. contra 2. rationem. Salvatür in Deo ratio potentie, tam ad actus notionales, quam ad productionem creaturarum, ut docet D. Thomas infra q. 41. art. 4. & q. 25. art. 1. ergo.

R. D. Ant. Salvatür in Deo ratio potentie ad actus notionales, & ad productionem creaturarum in ordine ad terminos precedentes aut productos, C. Ant. In ordine ad ipsos actus, N. Ant. Id est, salvatür in Deo ratio potentie quantum ad hoc quod est principium effectus, non quantum ad hoc quod est principium actionis: quia potentia ad actum se habet ut perfectibilis, & actuabilis per illum; ad effectum autem se habet ut actiuus, & perfectiens illum. (Infra q. 25. art. 1. ad 3.)

Obijcies 3. Quæ differunt definitione, distinguuntur saltem virtualiter; atqui intellectus, & intellectio differunt definitione: ergo.

R. D. Maj. quæ differunt definitione tradita de re ut est a parte rei, differunt virtualiter, C. Maj. definitione tradita secundum diversum modum concipiendi, N. Maj. sic autem intellectus, & intellectio in Deo definitione differunt.

§. II. Utrum in Deo sit Scientia propriè dicta, eaque sit ejus attributum?

Dico 1. Datur in Deo scientia propriè dicta. Est communis contra Vasquez.

Prob. 1. ex Scriptura Ps. 138. *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* Rom. 11. *O altitudo sapientie, & scientie Dei:* & alibi pluries. Neque dicas, hæc intelligenda esse de scientia improprè dicta; quia juxta regulam Aug. 1. 2. de doctr. Christ. cap. 10. verba Scripturæ sunt intelligenda in proprio sensu, quando inde nihil sequitur absurdum: nihil autem sequi absurdum, si hæc verba intelligantur in proprio sensu, patet ex sequentibus probationibus. Unde

Prob. 1. ratione. Scientia propriè dicta nihil aliud est, quam cognitio certa, & evidens rerum per causas; atqui Deus cognoscit certò, & evidenter res per causas: cognoscit enim eas omni modo quo sunt cognoscibiles, sunt autem cognoscibiles per suas causas: ergo. (Q. 2. de verit. art. 1. ad 4. & 5.)

Prob. 2. Evolvendo fundamentum Vasquezii. Scientia propriè dicta est perfectio simpliciter simplex, nullam in conceptu suo formali involvens imperfectionem: ergo est Deo tribuenda. Prob. Ant. Si quam involveret imperfectionem, esset discussus formalis; atqui hunc scientia ex se non importat, sed tantum per accidens ratione status, quem habet in hominibus, sicut eadem ratione importat, quod sit qualitas, & habitus: ergo. Prob. Min. Potest in nobis infundi scientia propriè dicta sine discussu formali: item in Angelis est scientia propriè dicta, quæ tamen non est discussiva formaliter: sufficit ergo ad scientiam propriè dictam virtutis discussus, quo nempe cognoscitur causa, & ef-

effectus per causam, non successive procedendo a cognitione causæ ad cognitionem effectus, sed simul unico actu. (Ibid.)

Dices: de ratione scientie est, quod cognoscat minus notum per aliquid notius; atqui omnia sunt Deo æqualiter nota: ergo.

R. D. Maj. De ratione scientie est, quod cognoscat minus notum per aliquid notius ex parte rei cognitæ, C. Maj. Ex parte cognoscentis, N. Maj. Ad hunc sensum, D. Min. Atqui omnia sunt æqualiter nota Deo ex parte sui, C. Ex parte rerum cognitarum, N. Min. Quamvis enim Deus omnia unico intuitu æqualiter videat, videt tamen quædam esse in se ipsis magis cognoscibilia, quædam minus, quædam esse causas, quædam esse effectus: & hoc est quod dicimus discussum virtutem.

Dico 2. Certum est, cognitionem Dei non habere rationem scientie respectu suæ essentie, quia nulla est ejus causa; unde respectu illius habet tantum rationem intelligentie. Certum est pariter, habere rationem scientie respectu creaturarum, quia habent causas, & Deus per causas illas cognoscit. An verò habeat rationem scientie respectu attributorum, non est aequè certum. Quidam negant cum Ferrarienti, quia nulla est respicienda causa attributorum, cum sint ipsa Dei essentia. Alii tamen contrarium probabilius & communius tenent; quia ad rationem scientie non videtur requiri, quod procedat per causam actualem, sed sufficit, quod procedat per causam virtuales: attributa autem, etsi non habeant causam realiter influentem, habent tamen virtuales; quia sic inter se comparantur, ut si esset realis distinctio inter essentiam & attributa, realis foret causalitas essentie in attributa, ita ut intellectus dimanaret ab essentia, voluntas ab intellectu, &c. hoc est enim, quod vocant causam virtuales, ad quam sufficit distinctio virtualis; & hæc causam virtuales sufficere ad scientiam, patet in Metaphysica, quæ est vera scientia, quamvis proprietates entis non demonstrat per causam actualem, sed virtuales tantum; nam verum & bonum non distinguuntur realiter ab ente, sed virtualiter tantum. Idem dic de Theologia nostra, quæ habet rationem scientie; licet attributa, quæ de Deo demonstrat, non habeant nisi causam virtuales.

Si dicas, quod cognitio scientifica debeat distinguere inter causam & effectum, & hunc per illam cognoscere: Deus autem non distinguit, sicut nos inter essentiam & attributa:

R. Quamvis Deus non distinguat inter essentiam & attributa, cognoscit tamen eminentiam suæ nature, & eam præbere intellectui humano fundamentum distinguendi inter essentiam & attributa; quod sufficit, ut cognoscat essentiam suam ut causam virtuales attributorum.

Dico 3. Scientia in Deo est ejus attributum.

Prob. Attributum est ratio absoluta, formaliter in Deo existens, & ad naturam divinam jam constitutum consequens, eamque ad diversam lineam trahens, ut patet ex dictis de attributis: atqui talis est scientia in Deo. Et 1. constat ex 1. conclusione, quod sit ratio absoluta formaliter in Deo existens. Prob. quoad reliqua particulatim. Intelligere divinum ut constitutum Dei respicit essentiam divinam absolute & præcisè ut intelligibile: intelligere ut scientificum respicit essentiam divinam determinato modo, scilicet sub ratione causæ: ergo sequitur ad naturam jam constitutam, & ratione diversi objecti trahit ad diversam lineam.

Dices: intelligere divinum ut constitutum nature divine est scientificum: ergo scientia non est Dei attributum, sed ipsa divina essentia. Prob. Ant. Intelligere divinum ut constitutum nature divine attingit illam ut radicem attributorum & causam creaturarum cum enim sit infinitum & comprehensivum, cognoscit naturam divinam omni modo, quo est cognoscibilis: ergo.

Respondet Goudin, intelligere divinum ut constitutum nature divine respicere quidem implicite naturam divinam ut radicem attributorum, non tamen explicite. Sed contra: respicit explicite naturam divinam: ergo explicite ut radicem attributorum, in hoc enim situs est conceptus nature. Unde

R. Partim cum Salmanticensibus apud Gonet N. Ant. ad probationem D. Ant. intelligere divinum ut constitutum nature divine respicit illam ut radicem attributorum tanquam rationem, quæ attingitur, C. Ant. tanquam rationem sub qua ipsa attributa attinguntur, N. Ant. sic enim attingitur a scientia; & hoc sufficit, ut intelligere constitutum & intelligere scientificum virtualiter distinguantur. Sic scientia in Deo attingit rationem agibilem & faciendibilem ut rationem quæ; sed quia prudentia attingit rationem agibilem, & ars rationem faciendibilem, ut rationem sub qua, ideo prudentia & ars a scientia virtualiter distinguuntur.

Inferes: Ergo intelligere divinum ut constitutum nature divine non intelligit divinam essentiam omni modo, quo est intelligibilis, sicut non est infinitum, nec comprehensivum.

R. D. 1. illatum: nod intelligit divinam essentiam omni

modo, quo est intelligibilis in linea nature, N. illationem: in alia linea, C. illationem, & nego sequentes illationes. Ad cognitionem enim infinitam & comprehensivam sufficit, ut objectum cognoscatur omni modo, quo est cognoscibile in linea, in qua est infinita talis cognitio; unde, cum intelligere divinum constitutum nature non sit infinitum omnibus modis, sed in linea nature dumtaxat, cognoscit tantum ea, quæ pertinent ad lineam nature, ut est ratio quæ attingibilis; ratio autem sub qua pertinet ad rationem scientie.

ARTICULUS II.

De Objecto, & divisione scientie Dei.

Nota, in hoc articulo & sequentibus non esse amplius questionem de scientia Dei strictè sumpta, sed de ejus cognitione ut sic, sive sit scientifica, sive non. Et tria querimus hic; 1. quousquè se extendat divina scientia: 2. quid sit inter cognitum objectum ejus primarium: 3. quotuplex sit: quæ per totidem §§. expendimus.

§. 1. Quousquè se extendat Dei scientia?

Dico 1. Deus se per seipsum cognoscit, imò & comprehendit (Hic art. 2. & 3. a.)

Ratio 1. partis est; quia Deus, sicut est summè intelligens, ita est summè intelligibilis, atque sibi præsentissimus & unitus, imò ut intelligens & intelligibilis omnibus modis unus & idem: ergo se cognoscit per seipsum, & non per speciem a se distinctam. (Ibid. art. 2.)

Ratio 2. partis est; quia Deus se cognoscit, quantum est cognoscibilis, sicut enim est infinitè cognoscibilis, ita est infinitè cognoscitivus, cum ex utraque parte sit actus purus & infinitus: ergo. Hinc Apost. 1. Cor. 8. *Que Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Et ibid. *Spiritus omnia scrutatur etiam profunda Dei.* (Ibid. art. 3.)

Dices 1. Aug. l. 83. QQ. q. 14. dicit, quòd id, quod comprehendit se, finitum est sibi. Idem repetit l. 12. de Civit. cap. 18. atqui nullo sensu Deus potest dici finitus: ergo.

R. quòd comprehendere, si propriè accipitur, significat aliquid habens & includens alterum, & sic oportet, quòd omne comprehensum sit finitum, sicut omne inclusum. Non sic autem comprehendi dicitur Deus a se ipso, ut intellectus suus sit aliud quam ipse, & capiat ipsum & includat; sed huiusmodi locutiones per negationem sunt exponende: sicut enim Deus dicitur esse in se ipso, quia a nullo exteriori continetur, ita dicitur comprehendi a se ipso, quia nihil est sui, quod lateat ipsum. (Ibid. ad 1.)

Dices 2. Deus se comprehensio cognoscit omnes suas perfectiones, consequenter ipsam cognitionem sui comprehensivam, quæ est magna ejus perfectio. Rursus, cum cognitio, quæ cognosceret sui comprehensionem, sit etiam perfectio, deberet illam pariter cognoscere, & sic procedendo in infinitum, quòd admitti non potest: ergo.

R. Deum suam cognitionem comprehensivam cognoscere non per aliam cognitionem, sed per ipsammet, quæ cum sit infinita, omnia quæ sunt in Deo & se ipsam representat, si-
que esse supra se reflexam.

Dico 2. Deus cognoscit omnia alia a se, sive possible, sive presentia, sive præterita, sive futura, etiam minima, non solum secundum communem rationem entis, sed etiam quòd esse proprium & singulare usque ad ultimas differentias. (Hic art. 5. 6. 11. 13. 6.)

Est contra Epicureos, qui contendeant Deum, sui cognitione contentum, cætera non curare, nec videre: quibus præverant it, qui Job. 22. referuntur dicentes: *Quid novit Deus? Quasi per caliginem judicat, nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, & circa cardines cali perambulat.* His succinit Averroës, qui ut refert S. Th. in 1. d. 35. q. 1. art. 3. dicebat, omnia quidem Deum cognoscere in communi, non in particulari.

Est de fide, ubique in Scripturis tradita, Hebr. 4. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus.* Ps. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longe... omnes vias meas prævidisti... cognovisti omnia recessima & antiqua.* Et toto Ps. 32. *Qui fixit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.* Sap. 8. *Signa & monstra scit, antequam fiant, & eventus temporum & seculorum.* Ps. 68. *Delicta mea a te non sunt abscondita.* Et alibi passim.

Prob. tota simul conclusio ratione: Deus perfectè se suamque virtutem cognoscit: virtus autem non potest perfectè cognosci, nisi cognoscantur omnia, ad quæ se extendit: atqui virtus divina se extendit ad omnia alia a Deo, non solum quoad rationem communem entis, sed quoad esse eorum formale & singulare usque ad ultimas differentias; est enim plenitudo

essendi, & causa effectiva atque exemplaris omnium entium, & omnis differentia, ac perfectionis eorum ergo. (Ibid. art. 5. o.) Et hoc etiam evidentiis fit, si adjungatur, quod ipsum esse cause primæ sit ejus intelligere: unde, quæcumque sunt in Deo sicut in causa prima, necesse est, quod sint in ipso ejus intelligere, & consequenter quod ab eo intelligantur. (Ibid.)

Confirmatur: Propria uniuscujusque natura consistit secundum quod per aliquem modum divinam perfectionem participat; atqui Deus perfecte se ipsum non cognosceret, nisi cognosceret quomodocumque participabilis est ab aliis sua perfectio: nec etiam ipsam naturam essendi perfecte sciret, nisi cognosceret omnes modos essendi: ergo cognoscit res omnes secundum proprias eorum naturas, & differentias. (Ibid. art. 6. o.)

Dices 1. S. Hieron. in cap. 1. Habacuc ait. Absurdum est ad hoc deducere Dei Majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascentur culices, quotve moriantur: ergo.

R. relictis variis solutionibus, S. Hieronymum negare duntaxat in Deo scientiam, quæ fundet specialem providentiam circa res hujusmodi viles & homine inferiores, qualem habet erga homines; non verò scientiam simpliciter, & quæ fundet providentiam generalem. Patet ex antecedentibus, & sequentibus. Immediatè namque dicit: Sicut igitur in hominibus etiam per singulos Dei currit providentia, sic in cæteris animalibus generalem quidem dispositionem & ordinem cursuque rerum intelligere possumus, v. gr. quomodo nascatur piscium multitudo, & vivat in aquis... Cæterum absurdum est, &c. ut in objectione. Et postea immediatè subdit: Non sumus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eadem rationabilium quam irrationalium Providentiam esse dicentes. Hanc ergo solam scientiam de viliibus entibus Hieronymus denegat Deo, quæ sit cum speciali providentia, qualem habet de hominibus, quorum singulis inter cætera concedit Angelum custodem. Eodem sensu S. Thomas infra q. 22. art. 2. ad 4. explicat illud Apostoli 1. Cor. 6. Non quid de lobis cura est Deo? Insuper, S. Hieronymum discretè agnovisse in Deo etiam minorum scientiam, patet ex ejus Comment. in cap. 32. Jerem. & in cap. 10. Math. quo ultimo loco dicit, quod Parva animalia & vilia absque Deo auctore non decedant, & in omnibus sit providentia, & quæ in his peritura sunt, sine Dei voluntate non pereant.

Dices 2. Tam possibile, quam futura per totam æternitatem erunt infinita; atqui infinitum cognosci non potest, est enim impertransibile: ergo.

R. D. Minorum infinitum cognosci non potest numerando successivè partem post partem, seu unum post aliud, C. Minorum; quia ut dicitur in objectione, sic est impertransibile: uno intuitu omnia simul comprehendendo, sicut facit Deus, N. Minorum. (Hic art. 12. ad 1.)

Dices 3. Sic Deus alia a se cognoscit, sicut sunt in ipso; atqui non sunt in Deo formaliter & distinctè secundum suas species & differentias; non enim Deus est homo, lapis, &c. sed virtualiter tanquam in causa communi: ergo.

R. D. Majorum. (Hic art. 6. ad 1.) Deus alia a se cognoscit, sicut sunt in ipso ex parte cognoscentis, C. Majorum, ex parte rei cognite, N. Majorum. Explicatur: Sic cognoscere aliquid sicut est in cognoscente, potest dupliciter intelligi; uno modo secundum quod hoc adverbium sicut importat modum cognitionis ex parte rei cognite, ita ut sit sensus, quod in rebus cognitis cognoscatur tantum illud esse, quod habent in cognoscente: & hoc falsum est; nam oculus non cognoscit lapidem secundum esse, quod habet in oculo, sed per speciem lapidis, quam habet in se, cognoscit lapidem secundum esse quod habet extra oculos: & intellectus cognoscit quidem lapidem secundum esse intelligibile, quod habet in intellectu, qui cognoscit se intelligere; sed insuper cognoscit esse lapidis in propria natura. Secundo modo, secundum quod hoc adverbium sicut importat modum ex parte cognoscentis, ita ut sensus sit, quod cognoscens non cognoscat res, nisi quatenus sunt in ipso per suas species, & similitudines: & hoc est verum. Quanto enim perfectius, & intelligibilis cognitum est in cognoscente per suam speciem, tanto perfectior est cognitio. Sic igitur dicendum, quod Deus non solum cognoscit res in se ipso; sed per id, quod in se ipso continet res, cognoscit eas in propria natura, & tantò perfectius, quanto perfectius est unumquodque in ipso.

Instabis: Distinctio singularium materialium est a materia; sed materia non est in Deo, cum sit mera potentialitas: ergo.

R. Materiam quantum ad realitatem, quam habet sub forma, esse in Deo create, & conservante, & sic illam ab eo cognosci. (Hic art. 11. ad 3.)

Dices 4. Salmem Deus non cognoscit entia rationis, neque privationes, neque peccata, cum hæc omnia neque a Deo causentur, neque in eo continentur: ergo.

R. Deum cognoscere entia rationis, non quòd ea faciat, sed quia facit, & cognoscit cogitationes, & fisiones nostras, quibus fiunt entia rationis. (Hic art. 10. o.) Privationes autem cognoscit per formas oppositas: similiter mala sive physica, sive moralia, seu peccata per bona opposita; unumquodque enim est cognoscibile secundum quod est: unde, cum hoc sit esse mali, quod est privatio boni, per hoc ipsum quòd Deus cognoscit bona, cognoscit etiam mala, sicut per lucem cognoscitur tenebræ. Sic v. gr. cognoscendo actum furti, & rectitudinem justitiæ, eamque desse furto, cognoscit hujus actus malitiam. Plura circa hanc conclusionem recurrent Art. subsequenti, ubi de medio, in quo Deus alia a se cognoscit. Contra art. 2. de Providentia & art. 2. Diss. seq.

§. II. Quodnam sit objectum formale, & primum scientiæ divinæ?

Constat ex §. precedente, Deum se, & alia a se cognoscere. Quæritur nunc, quid inter hæc sit ejus cognitiois obiectum formale, & primum. Durandus tenet, esse ens ut sic, ut commune analogice creato & increato. Cateri tenent, quod sit quid increatum, scilicet ipse Deus. Verum hi in duas partes sciuntur: quidam assignant pro objecto formali, & primo divine cognitionis essentiam divinam ut præcisam ab attributis, & relationibus: alii essentiam divinam cum attributis, & relationibus.

Dico 1. Obiectum formale & primum cognitionis divinæ non est ens creatum, neque ens ut sic abstractens a creato & increato; sed ens duntaxat increatum, scilicet ipse Deus. (1. contr. gent. cap. 48.)

Prob. 1. Illud est obiectum formale & primum cognitionis divinæ, quod per se primo & ratione sui attingit; atqui id, quod per se primo & ratione sui attingit cognitio divina, non est ens creatum, nec ens ut sic abstractens a creato & increato, sed solus Deus: ergo. Prob. Min. 1. Quia nihil est aut concipi potest prius Deo. 2. Quia Deus se cognoscit ut causam, & in se ut causa cognoscit creaturas ut effectus: ergo primo per se & ratione sui se cognoscit; secundario & dependenter a se creaturas. 3. Quia essentia divina primo per se representatur intellectui divino, creatura secundario & ratione illius: ergo per se primo essentia divina attingitur a cognitione divina. Patet consequentia; quia intellectus fertur in objecta eo ordine, quo ipsi representantur. Prob. Ant. Species, qua intellectus divinus videtur, est ipsa essentia divina; atqui essentia divina primo se representat, deinde in se creaturas; quia si ex æquo se & creaturas representaret, non esset potius Deus in esse intelligibili, quam creatura, ut jam alibi notavimus: ergo. (Ibid.)

Prob. 2. Operatio intellectualis speciem & nobilitatem habet secundum id, quod est per se & primo intellectum, seu secundum obiectum ejus formale & primum; atqui impossibile est, quòd intellectio divina speciem & nobilitatem habeat secundum id, quod est aliud a Deo, cum ejus intellectio sit ipsa ejus essentia: ergo est impossibile, quòd intellectio sit Deo primo & per se sit aliud a Deo. Intelligit hic speciem, non strictè sumptam (in Deo enim non est genus, neque species propriè sumpta) sed quasi speciem, sumptam pro ratione propria & essentiali, ac veluti specifica. Idem dic de specificativo. (Ibid.)

Dices cum Durando: Quòd aliqua potentia est perfectior, eò universalis debet esse ejus obiectum; atqui ens ut sic abstractens a creato & in creato est universalis, quam ens increatum: ergo.

R. D. Majorum: quòd aliqua potentia est perfectior, eò universalis debet esse ejus obiectum universalitate prædicationis, N. Maj. Universalitate causalitatis & continentis, C. Major. Quia universale prædicationis est tantum universale secundum nostrum modum concipiendi; universale verò continentis est universale secundum rei veritatem. Ad hunc sensum D. Min. Ens ut sic est universalis universalitate prædicationis ente increato, C. Maj. Universalitate continentis, N. Min. Deus enim est tota essendi plenitudo, eminentèr continens omne creatum.

Repones: Deus cognoscit ens ut sic, non ut obiectum secundarium: ergo ut primum.

R. Deum non cognoscere ens ut sic quasi abstractivè, & ut præcisum a suis differentiis, sicut nos cognoscimus; sic enim cognoscere rationem entis est imperfectè & confusè cognoscere, sed eam cognoscit quasi in concreto prout est in Deo, & in creaturis: prout est in Deo, est obiectum primum; prout est in creaturis, est obiectum secundarium.

Dico 2. Si attendatur modus, quo Deum imperfectè cognoscimus per analogiam ad res creatas, secundum quem distinguuntur essentia ab attributis, ut ratio primaria a secundaria, obiectum formale & primum cognitionis divinæ est essentia divini ut virtualiter distincta ab attributis & relationibus: ita tam

mèn quòd attributa, & relationes non sint objecta secundaria & materialia, sed modi intrinseci objecti primarii. Si verò attendatur modus, quo Deus se ipsum revera cognoscit, obiectum formale, & primum divine cognitionis est ens divinum complectens essentiam, attributa, & relationes. Et sic forte conciliantur oppositæ Thomistarum sententiæ.

Prob. 1. pars. Quod est virtualiter posterius divino intelligere, non potest esse ejus obiectum formale, & primum; quia obiectum formale, & primum est specificans, specificans autem non est posterius, sed prius, aut saltem simul cum specificato; atqui juxta modum nostrum concipiendi attributa, & relationes sunt quid virtualiter posterius divino intelligere: ergo. Prob. Min. Intelligere divinum in nostra sententia est ipsa Dei essentia; atqui attributa, & relationes sunt virtualiter posteriora essentia: ergo.

Dixi tamen, attributa, & relationes non esse obiectum materiale, & secundarium, ut sunt creaturæ, sed modos intrinsecos objecti primarii; quia non sunt merè extrinsecæ divinæ essentia sicut creaturæ, sed transcendentaliter in ea imbibita; nec habent aliam intelligibilitatem, seu immaterialitatem ab illa, sed eandem, utpotè intelligibilitatem, & incretam, & actus puri.

Prob. 2. pars. Obiectum formale, & primum divine cognitionis, loquendo de ea ut est in re, non est conceptus ille essentia, qualem nos habemus, imperfectè dicens quid sit Deus, atque ita præcendens ab attributis, seu ea, & non exprimens explicite, sed est quidditas Dei ut est in se, & in re perfecte cognita; atqui quidditas Dei ut est in se est perfectè cognita importat non solum implicitè, & radicaliter, sed formaliter, & explicite attributa, & relationes: ergo. Major patet; quia Deus non cognoscit imperfectè suam essentiam, sicuti nos; sed eam cognoscit prout est in se, & in re secundum omnia sua essentialia. Minor etiam patet; quia essentia divina ut est in se est actus purissimus omnia divina formaliter actus importans, ita ut attributa, & relationes sint in Deo una simplex perfectio, quæ est formaliter bonitas, sapientia, Pater, Filius, &c. Hac ratione probavimus supra, essentiam Dei ut est in se non posse videri a Beatis sine attributis, & relationibus.

Neque obstat, attributa, & relationes cognosci per intelligibilitatem essentia; quia, cum non habeant aliam quidditatem ab essentia, intelligibilitas eadem, quæ est propria essentia, est etiam propria attributis, & relationibus. Verum hæc difficultas, quam fuit admodum tractant quidam Thomistæ, non videtur nobis tantè momenti, ut diutius illi hæreamus.

§. III. De Divisione Scientiæ Dei.

Quamvis scientia Divina ex parte Dei sit unica, simplex, & illimitata, omnia unico actu perfectissime comprehendens; ex parte tamen obiectorum, & secundum modum notionum concipiendi varè dividitur.

1. In intelligere primum, & intelligere attributale, seu scientificum, de quo supra.

2. In scientiam speculativam, & practicam. Speculativa est, quæ res solum contemplantur, sed non efficit; qualis est illa, quæ versatur circa ipsum Deum, aut res possibilis. Practica, est, quæ non solum cognoscit, sed etiam efficit suum obiectum. Mala verò, licet non sint operabilia a Deo, tamen sub cognitione ejus practica cadunt, sicut & bona, in quantum ea vel permittit, vel impedit, vel corrigit, vel ordinat, sicut ægritudines cadunt sub practica scientia medici, in quantum per artem suam curat eas. (Hic art. 16. o.)

3. In scientiam necessariam, & liberam. Necessaria est, quæ præcedit liberam Dei determinationem, & versatur tantum circa objecta necessaria, ut circa quidditates rerum, quæ aliter se habere non possunt. Libera est, quæ supponit decretum, & versatur circa objecta a libera Dei voluntate pendentia, ut sunt res existentes, aut future.

4. In scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis: (Ibid. art. 9. o. quest. 3. de verit. art. 3. ad 8. & 1. contr. gent. c. 60. & 69.) & hæc est divisio omnium celeberrima. Scientia simplicis intelligentiæ est, quæ versatur circa ea, quæ nec sunt, nec fuerunt, nec erunt, hoc est, circa quidditates rerum in statu mere possibilitatis, coincidunt cum speculativa, & necessaria. (Loc. cit. de verit.) Dicitur autem simplicis intelligentiæ, non ad excludendum respectum scientiæ ad scitum, qui inseparabiliter omnem scientiam comitatur; sed ad excludendum admixtionem ejus, quod est extræ genus notitiæ, sicut est existentia rerum, quam addit scientia visionis; vel ordo voluntatis ad res scitas, quam addit scientia approbationis. Scientia visionis igitur est, quæ fertur ad ea, quæ sunt, vel fuerunt, vel erunt; unde addit, ut mox dicebam, supra scientiam simplicis intelligentiæ ordinem ad existentiam physicam objecti, ut præsentem in æternitate, modo infra explicando. Dicitur visionis, metaphorâ desumptâ ab oculo corporeo, qui dicitur res videre,

Theol. Billuart. Pars Prima.

quando eas sibi præsentem attingit. Utrum verò hæc divisio sit adequata, an è contra detur altera scientiæ mediis inter illas, quæ dicitur Scientia mediæ, quæstio est in tota Theologia celeberrima, quam infra suis omnibus momentis expendere conabimur adversus Molinam, & Patres Societatis, hujus Scientiæ mediæ assertores.

Scientia visionis subdividitur in scientiam approbationis, & improbationis. Scientia approbationis est, quæ versatur circa bona, & supponit decretum approbativum divinæ voluntatis circa illa. Scientia improbationis est, quæ versatur circa mala, & supponit decretum divinæ voluntatis circa illa, non approbativum, sed permissivum tantum. Et juxta hanc divisionem, Deus aliquando dicitur in Scriptura scire, & nescire mala seu peccata, nescire scientia approbationis, scire scientia improbationis.

ARTICULUS III.

An, & quæ scientia in Deo sit causa rerum?

Dupliciter scientia potest dici causa rerum: 1. Directivè, quatenus proponendo modos, quibus res fieri debeat, aut possit, dirigit potentias effectrices: 2. Effectivè, sic ut ipsa efficiat exterius, quod interius concipit.

Dico 1. Scientia in Deo est causa rerum, non solum directiva, sed etiam effectiva, non formaliter, & præcisè ut est scientia, sed ut habet adjunctam voluntatem, & consuevit dici approbationis. (Hic art. 8. o.)

Prima pars est de fide. Psalm. 103. Omnia in sapientia fecisti. Psalm. 135. Qui fecit celos in intellectu: alibi pluries ut mox dicam. (Ibid.) Ratione etiam constat. Nefas est enim existimare, agens intellectuale, & perfectissimum agere cæco, & ignorantè modo, cumque in suis operationibus scientia, & sapientia non dirigi. (Ibid.) Insuper sic se habet scientia in Deo respectu Creaturarum, sicut scientia artis in artifice respectu artefacti; atqui scientia artis est causa saltem directiva artefacti: ergo.

Secunda pars, prout proponitur abstractendo a scientia simplicis intelligentiæ, & scientiæ visionis, a paucis forte negatur saltem Honoratus Tournely, hac in materia ut in pluribus nobis adversarius, discretè asserit tanquam certum, scientiam simplicis intelligentiæ, si adjuncrum habeat voluntatis decretum, esse causam rerum, non tantum directivam, sed effectivam, additque, circa hoc summam esse scholæ concordiam: ergo juxta concordem scholæ opinionem aliqua scientia in Deo, adjuncto decreto, est causa rerum effectiva, nec plus dicit conclusio nostra: neque refert, quòd addiderim cum S. Thom. quæ consuevit dici approbationis; quia contendunt adversarii cum ipso Tournely, scientiam simplicis intelligentiæ posse dici approbationis.

Prob. itaque 1. ex Scriptura. Prov. 3. Dominus sapientia fundavit terram, stabilivit celos prudentia. Joann. 1. Omnia per ipsum (Verbum) facta sunt. Sap. 8. Quis horum que sunt, magis quam illa (sapientia) artifex. Gen. 1. Dixit Deus: fiat lux, & facta est lux. Psalm. 32. Verbo Domini caeli firmati sunt. Hebr. 1. portans omnia verbo virtutis suæ; & alibi similiter; atqui termini fundare, stabilire, esse artifex magis quam cætera, facere, & firmare mandato, & verbo exprimunt plusquam simplicem directionem: ergo.

Prob. 2. Ex Patribus. S. Aug. 15. de Trin. c. 13. Universas creaturas, & spirituales, & corporales, non quia sunt ideo novit Deus; sed ideo sunt, quia novit. Idem 11. de civ. c. 10. Iste mundus nobis notus esse non posset, nisi esset; Deo autem nisi notus esset, esse non posset. S. Greg. 1. 20. moral. c. 23. quæque sunt, non ab æternitate ejus ideo videntur, quia sunt: ideo ideo sunt, quia videntur. Et l. 32. c. 6. non existentia videndo creat, existentia videndo continet. Plura adhuc in sequenti conclusione.

Prob. 3. ratione. 1. Deus est agens intellectivum; atqui agens intellectivum ut tale operatur effectivè per intellectum: ergo Deus, qui est causa omnium effectiva, illa efficit per intellectum, consequenter per cognitionem seu scientiam. Major est certa. Prob. Minor: omne agens operatur effectivè per formam sibi propriam: sic ignis operatur per calorem: sic artifex, qui est agens intellectivum, operatur per intellectum, & per suam scientiam efficit artefactum: ergo. (Ibid.)

2. Scientia Dei est causa rerum, sicut scientia artificis est causa artefactorum; atqui scientia artificis est causa rerum non solum directiva, sed etiam effectiva: ergo. (Ibid. & in 1. d. 38. quest. 1. art. 1. o.) Prob. Minor, tum quia ars proprie loquendo est habitus operativus, inquit D. Thom. (1. 2. quest. 57. art. 3. o.) neque solum perficit potentias in ordine ad operationem, sed & ponit formam conceptam in artefacto, ut dicit etiam S. Doctor loco cit. in 1. Placet ejus verba referre, quia huic, & sequenti conclusioni lucem afferunt: Sicut, inquit, est

causalitas artificis per artem suam, idè consideranda est causalitas divine scientiæ: est ergo ille processus in productione artificiali. 1. Scientia artificis ostendit finem. 2. Voluntas ejus intendit finem illum. 3. Voluntas imperat actum (scilicet radicaliter, ut modò dicam) per quem educatur opus: circa quod opus scientia artificis ponit formam conceptam: ergo scientia artificis non solum ostendit, & dirigit, sed etiam inducit formam artificialem in materiam, quod est verè efficere.

Si dicas, scientiam, & artem in Deo distingui, quæ tamèn hic videntur confundi: R. quosdam probabiliter negare, scientiam, & artem in Deo distingui, quia idè distinguuntur in nobis, 1. quòd scientia sit de universalibus, ars de particularibus. 2. quòd scientia procedat per causam, & ars per usum: in Deo verò, & scientia est de particularibus, & ars procedit non per usum, sed per causam. Sed dato virtualiter distingui, non distinguuntur adæquatè ut duo attributa, sed ut due formalitates ejusdem attributi, quòd, quatenus terminatur ad res artificiosas quòdam modo producendas, dicitur ars; quatenus autem terminatur ad res quòd substantiam producendas, dicitur scientia: & hoc salvatur in nostra sententia.

3. Deus res efficit per actum imperii formaliter immanentem, & virtualiter transeuntem; atqui actus imperii, quamvis sit radicaliter, & presuppositivè a voluntate, & idè dicitur quandoquè quod voluntas imperet, est tamèn formaliter, & elicitive ab intellectu: ergo. Major pater ex Scripturis jam citatis. Gen. 17. Dixit Deus: fiat lux, & facta est lux. Psalm. 148. Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt. Magis adhuc patebit ex dicendis in sequenti conclusione. Minor est D. Thom. 1. 2. quæst. 17. & probatur nunc breviter. Impare est intimare, seu dicere, est ordinare, & præcipere; atqui intimare, seu dicere, & loqui spiritualiter pertinet ad intellectum, qui est quasi os substantiæ spiritualis; unde illud Ps. 36. Os justi meditabitur sapientiam. Item ordinare unum ad aliud est intellectus practicus, & prudentiæ. Tandem præcipere, cum sit superioris, pertinet ad superiorem, & nobiliorem potentiam, quæ est intellectus: ergo. Confer, quæ dicam 1. 2. ad quæst. 17.

Prob. 3. pars conclusionis. 1. Scientia in quantum scientia non dicit causam activam, sed est nuda objecti notitia; unde actus scientiæ ut talis non est producere, sed cognoscere: & idè multa scit Deus, quorum non est causa, ut sunt peccata, & merè possibilis, quæ nunquam erunt. (Q. 2. de verit. art. 14.)

2. Forma, tam naturalis, quam intelligibilis, non nominat principium actuale agendi ad extra præcisè quatenus est forma manens in eo, cujus est forma, seu quatenus dat ei esse in actu, sed quatenus habet ordinem, & inclinationem ad effectum: quòd maxime verum est de forma intelligibili; quia, cum se habeat ad opposita (est enim eadem oppositorum scientia) hunc potius quam alterum effectum non produceret, nisi per inclinationem seu appetitum determinaretur; atqui in Deo hæc inclinatio est ejus voluntas: ergo forma intelligibilis in Deo seu ejus cognitio non est causa rerum, nisi habeat adjunctam voluntatem. Unde ad Eph. 1. dicitur: Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue. (Hic art. 8. o.)

3. Ut jam dixi, & modò adhuc dicam, Deus non causat res ad extra nisi per actum imperii; atqui actus imperii supponit decretum voluntatis, a quo habet efficaciam: ergo.

Non te tædeat, Lector, si paulo diutius immoremur conclusioni, circa quam, juxta adversarios, est summa Scholæ concordia. Quæ hucusquè diximus, ut plurimum proderunt sequentibus.

Remanet ergo magis controversa difficultas, quæ scientia in Deo sit causa rerum, an scientia simplicis intelligentiæ, an scientia visionis? Sedulo revocandum est, quòd supra diximus, hujus duplicis scientiæ distinctionem non se tenere ex parte Dei, sed ex parte objecti materialis. Ità ut eadem scientia, prout respicit res in statu possibilitatis, dicatur simplicis intelligentiæ; prout respicit res sub statu existentie aut futuritionis, dicatur visionis. Undè est potius explicatio diversarum terminationum ejusdem scientiæ, quam distincta scientia.

Dico 2. Scientia simplicis intelligentiæ est causa actu dirigens res in ordine intentionis, & effectiva in actu primo. Scientia visionis est causa dirigens, & efficiens in actu secundo in ordine executionis; non præcisè ut visionis, sed ut approbationis, ut explicuimus in prima conclusione, ità ut verum sit dicere in sensu causali: *Idè res existunt, aut future sunt, quia Deus illas videt.* Ly quia appellando supra visionem ut habet adjunctam voluntatem. Non e contra sit verum dicere: *Idè Deus res videt, quia existunt, aut future sunt,* nisi forte aliquo sensu subtiliori, de quo in solutione objectionum. Et intelligenda est conclusio generalitèr de omnibus rebus, quas Deus facit, etiam liberè futuris.

Pro intelligentia conclusionis observandum est, in agentibus intellectibus duplicem distingui ordinem, unum intentionis,

qui incipit a cognitione, & intentione finis, & terminatur inclusive ad electionem, & volitionem mediorum. Alterum executionis, qui incipit ab actu imperii, & terminatur ad executionem operis, seu acquisitionem finis. Quod ut breviter exponamus, id enim pertinet ad Tract. de actibus humanis. Primum intellectus apprehendit finem, & eum proponit voluntati: voluntas acquiescit, & intendit hunc finem: vi hujus intentionis, intellectus inquit de mediis, & discernit inter magis, & minus apta, voluntas vult, & seligit aptiora; & hic sinit ordo intentionis. Deinde sequitur ordo executionis; vi enim electionis voluntatis intellectus imperat executionem mediorum voluntariorum: vi hujus imperii voluntas applicat potentias executivas, quæ applicatio dicitur usus activus; quem sequitur usus passivus potentialium executivum, & tandem perfectio operis, seu assecutus finis.

Sic igitur in proposito (& est explicatio, & probatio conclusionis) intellectus divinus secundum modum nostrum concipiendi apprehendit manifestationem suæ gloriæ ut bonum, eamque proponit voluntati: voluntas divina annuit, & intendit hunc finem: vi hujus intentionis intellectus, seu scientia divina inquit de mediis, & inter innumera quæ potest, aptiora discernit, & ea ut in sua arte possibilis voluntati proponit: voluntas ea vult, & seligit, & hic sinit ordo intentionis. Et hinc patet 1. quòd scientia huc usquè dirigens proponendo finem, & media sit simplicis intelligentiæ, quia huc usquè, & dum dirigeret ante electionem voluntatis, omnia adhuc erant in statu merè possibilitatis; & quamvis per electionem secundam facta sint inchoativè, & quoad affectum futura, non tamèn completè, & quoad effectum, neque ad hanc inchoatam futuritionem altèr cooperata est scientia, quam dirigendo. Patet 2. quòd, cum proponat media ut sibi possibilis, & ut contenta in virtute suæ artis, sit effectiva in actu primo, seu habeat virtutem efficiendi: & sic manet probata prima pars conclusionis.

Jam verò posita electione efficaci mediorum, vi illius intellectus imperat eorum executionem; & cum imperium Dei sit efficacissimum, nec indiget distinctis potentis executivis, ut dicam in calce articuli, sed eodem instanti, quo imperat, res fiant, & aliud sit, ut probavimus, actus intellectus; sequitur, quòd efficiendo videat, & videndo efficiat; sicque quòd scientia, quæ est causa effectiva rerum in actu secundo, sit scientia visionis, utpote attingens res ut existentes, aut completè futuras, non præcisè qua visionis, ut dictum est, sed ut habeat adjunctam voluntatem, & consuevit dici approbationis. Unde in forma si argumentor: Deus est causa effectiva rerum in actu secundo per imperium; atqui imperium est actus intellectus pertinet ad scientiam visionis, & non simplicis intelligentiæ: ergo. Minor pro prima parte patet ex dictis in prima conclusione. Probat ut secundam. Iste actus imperii supponit decretum efficacem, & in eo fundatur, & terminatur ad res ut existentes, sive ipsam per ipsum efficiantur: ergo.

Respondet 1. sapientiss. Tournely, ipsam Dei voluntatem esse causam immediate effectivam rerum, eò quòd ex se sit efficacissima, & idè superfluum esse imperium.

Sed contra: hæc responsio 1. est contra Scripturam, passim tribuentem rerum effectiorem divino imperio, ut videmus in 1. conclusione. 2. est contra D. Thom. qui hic art. 8. o. dicit: *forma intelligibilis est principium operationis, sicut calor est principium calefactionis,* adjuncta tamen voluntate, ut ibidem subdit. Et in 1. d. 38. cit. in 2. ratione primæ conclusionis dicit, quòd *voluntas imperat actum,* seu movet ad actum, per quem educatur opus: ergo non ipsa voluntas immediate educit opus, sed actus, ad quem movet, nimirum actus imperii. 3. Est contra rationem. Quia non solum requiritur intellectus dirigens, & movens voluntatem in ordine intentionis, & ad volendum, sed etiam in ordine executionis, & ad faciendum; tum quia in executione graviores occurrunt difficultates; tum quia alloquin, qui sapienter vult, imprudenter, & cæco modo exqueretur. Et idè præcipuus actus prudentiæ circa agibilia est imperium, & ars, quæ est habitus dirigens circa executionem factibilem, ponitur in intellectu, & non in voluntate. In Deo igitur præter voluntatem efficacem operis debet, secundum modum nostrum concipiendi, distingui imperium ad executionem; non quòd Deus patiatur difficultatem in exequendo, sed propter distinctionem objectorum; objectum enim executioni mandandum addit aliquid objecto simpliciter volito; & quia sicut assignamus intellectum dirigentem in ordine intentionis; ne voluntas imprudenter, & cæco modo eligat, ità debemus assignare dirigentem in ordine executionis, ne imprudenter, & cæco modo exequatur.

Respondet 2. Tournely, actum imperii, supposito quòd datur in Deo, non respicere rem existentem, sed voluntatem Dei antecedentem, quam intimat; seu, ut alii dicunt, non respicere rem existentem ut objectum, sed ut effectum.

Sed

Sed contra: Implicat in terminis, intellectus actus vi voluntatis intimare rem faciendam, canque facere, & eam existentem non respicere. Parièr implicat, actum intellectus terminari ad aliquid, & illud non intelligere ut objectum: sicut implicat, voluntatem terminari ad aliquid, & istud non esse volitum; quia, sicut actus voluntatis est velle, sic actus intellectus est intelligere. Imperium autem est actus intellectus, ut dictum est. Insuper sequeretur, quòd intellectus ageret nesciens quid ageret.

Prob. 2. Conclusio. Si Deus res videret, quia sunt, & eas videndo non faceret, scientia ejus mensuraretur a rebus, atque ab illis dependeret quoad veritatem & certitudinem, sicut scientia nostra, ut patet; atqui repugnat Deo, quòd ejus scientia mensuraretur a rebus, atque ab illis penderet quoad veritatem & certitudinem, cum potius ipsa sit mensura rerum: ergo. Neque dicas, Deum cognoscere peccata, quæ non facit, & tamèn ejus scientiam non pendere a peccatis; quia peccatum, cum sit privatio, non cognoscitur in se, sed in forma opposita. (Hic art. 8. ad 3. & quæst. 36. art. 1. o. & 1. 2. quæst. 93. art. 1. ad 3.)

Prob. 3. authoritatibus S. Aug. & S. Greg. quæ attulimus in probationem 1. Conclusionis; sed quia Doct. Tournely dicit, eas posse intelligi de illa scientia, quæ Deus solus res aliquas operatur, ut sunt ea, quæ educuntur ex nihilo, & infusio donorum supernaturalium, ut explicuit in prenotaminibus, quæ, inquit, merito earum causa dici potest; (quamvis tamèn hæc authoritates, ut legenti patet, generalitèr loquantur de universis & quibuscumque creaturis) alias adjungimus, quæ specialitèr loquantur de actibus liberis, quos Deus cum causis secundis operatur, & quos solòs Tournely excipit a causalitate effectiva scientiæ visionis.

S. Aug. l. 5. de Civ. c. g. loquens de voluntatibus nostris dicit: *Idè, quidquid valent, certissime valent, & quod factura sunt ipse, omnimò factura sunt; quia valiturus atque facturas ille præscit, cujus præscientia falli non potest.*

Boëtius l. 3. de Consol. philosoph. prosa 3. apud Sylviolum agens de concordia divine præscientiæ cum libero arbitrio, dicit: *Neque probò illam rationem, quæ se quidam credunt hunc questionis nodum posse dissolvere. Ajunt enim, quid non esse idè eventurum, quoniam id providentia futurum esse prospexerit; sed e contrario potius, quoniam quid futurum est, id divinum providentiam latere non possit.*

Insuper, consentiente Tournely, Partes dicunt res, quæ a solo Deo producuntur, esse futuras, quia Deus eas videt; atqui actus liberi, quos causis secundis concurrentibus producit, non minùs essentialitèr ab ejus scientia pendunt: ergo.

Solvuntur Objectiones Honorati Tournely, & aliorum.

Objicit 1. Tournely longam seriem Patrum, Origenis, Justinii, Chrysi. Theodoretii, Eusebii, Damasceni, Hieron. Aug. Boëtii, qui dicunt, res non idè esse futuras, quia cognoscuntur a Deo; sed potius a Deo cognosci, quia futuræ sunt: ergo.

Primo. Nos etiam producimus Patres, imò eosdem, qui oppositum docent: quo ergo jure nostros, sed non eosdem jure quos objicit explicamus. 2. Fortè non meministis laudatus Theologus, se paulò ante dixisse certum esse juxta omnes Theologos scientiam simplicis intelligentiæ, si adjunctum habeat voluntatis decretum, esse causam rerum, non tantum directivam, sed efficientem: ergo juxta ipsum & omnes Theologos res sunt futuræ, quia Deus eas cognoscit, sicut ipsi & alii Theologis non secus ac nobis ex integro sunt solvendæ authoritates, quas nobis objicit. Si dicat, Patres non esse intelligendos de scientia simplicis intelligentiæ, sed visionis; ego pari jure dicam, non esse intelligendos de scientia visionis, sed de scientia simplicis intelligentiæ, absolute enim & sine distinctione Patres loquuntur de scientia Dei: imò potiori jure dicam, intelligendos esse de scientia simplicis intelligentiæ, & non de scientia visionis; quia ut appositè advertit noster Gonet, SS. Patres in his locis contendunt probare contra Manichæos, scientiam Dei non nocere libertati nostræ; majus autem est periculum, ne ledatur libertas nostra ex scientia naturali & necessaria, qualis est scientia simplicis intelligentiæ, quam ex scientia libera, qualis est scientia visionis, utpote fundata in decreto libero divine voluntatis. Interim directè

R. 1. SS. Patres perquam loqui de peccatis, quorum, quatenus sunt formalitèr peccata, scientia visionis non est causa; quia, ut dictum est, scientia visionis non est causa rerum ut visionis est, sed ut habeat adjunctam voluntatem, seu ut est approbationis. Deus autem non approbat peccata, sed permittit dumtaxat. (Quæst. 2. de verit. art. 14. ad 1.) Quòd si quandoquè SS. Patres loquantur de actibus non peccaminosis, intendunt tantum, quòd scientia non sit causa inducens

Theol. Billuart. Pars Prima.

necessitatem in scito, ut ex hoc cogatur aliquid evenire, quia Deus illud scit; & ea ratione (ut præocuperet instantia) interdum SS. Patres utuntur exemplo scientiæ nostræ, non in hoc facientes paritatem, quòd sicut scientia nostra non causet res scitas, ita nec scientia Dei; sed in hoc quòd sicut scientia nostra non inducit necessitatem in rebus scitis, ita nec scientia Dei.

Ad hæc: *Fatemur,* inquit Doctor Sorbonicus, *Scientiam Dei non inducere necessitatem in rebus scitis, at unà id probant Thomistæ? Ex eo nimirum, quòd scientia res futuras supponit, & non facit.* Minimè gentium, & in hoc vir aliunde doctissimus se probat peregrinum in principis Scholæ Thomisticæ. Probat ergo Thomistæ, scientiam visionis, quamvis sit causa rerum, non inferre necessitatem in rebus scitis, quia habet suam efficaciam a decreto, in quo fundatur; hoc autem decretum non solum decernit ens, sed omnes modos entis, de quorum numero est libertas, & contingentia: unde scientia visionis, quæ vi hujus decreti agit, efficit ens & modos entis consequenter libertatem, ac proinde illam non destruit.

Sed pace doctissimi viri, liceat mihi vicissim inquirere, unde ipse probat scientiam simplicis intelligentiæ adjuncto decreto non inferre necessitatem rebus? Respondere non potest; quia res supponit, & non facit, siquidem juxta ipsum, scientia simplicis intelligentiæ adjuncto decreto sit causa rerum efficiens. Confugiet dubio proci ad decretum indifferens, ut ex ipso eliciat effectum determinatum, quòd suo loco pro meritis confutabimus; sed interim indè palam fit, nihil referre ad libertatem rerum adstruendam vel tollendam, eas causari a scientia visionis aut simplicis intelligentiæ, sed totum hoc pendere ex decreto, quòd illam præcedit, istam sequitur.

R. 2. SS. Patres sic locutos fuisse attendentes tantum rationem scientiæ, cui non competit ratio causalitatis, nisi adjuncta voluntate; hoc est, locutos fuisse de scientia visionis qua visionis, non qua approbationis. (Hic art. 8. ad 1.)

Si instes eos addere: *Idè res a Deo sciri, quia futurae sunt.* (Ibid.) R. Id intelligendum esse in sensu illativo & non causalitèr; hoc est: sequitur, quòd, si aliqua sint futura, Deus ea præscit, non tamen res futuræ sunt causa, quòd Deus sciat. Imò potest etiam absquè præjudicio sententiæ nostræ hoc dictum Patrum verificari in sensu causali. Cum enim scientia visionis habeat duo munia; etenim simul tempore efficit & videt, & cum prius natura concipiatur effici, seu esse, quam videri; secundum hanc præcisionem verificatur in sensu causali, quòd res idè videantur, quia sunt. Hòc etiam modo intelligi potest illud Genes. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Communis tamèn intelligitur de visione conservativa, & non factiva.

Objicit 2. Tournely: Scientia visionis non est causa rerum præcisè qua visionis, quia scientia visionis sub hac formali ratione dicit tantum respectum ad res futuras: neque ut approbationis, quia Deus certo cognoscit peccata, quæ tamen non approbat: ergo scientia Dei non est causa rerum, neque ut est visionis, neque ut est approbationis.

Confirmatur: non magis pertinet ad scientiam suam objectum efficere, quam ad potentiam effectivam suam opus intelligere; sed potentia effectiva suam opus non intelligit: ergo.

R. Argumentum objicentis peccare contra primas regulas dillectices; quia procedit a non distributo ad distributum; ex eo enim, quòd scientia approbationis non sit causa aliquid futuri, nempe peccati, infert nullius futuri esse causam, pendè ac si arguerem: Aliquod animal non est homo: ergo nullum animal est homo. Debuisse itaque inferre: ergo est aliquid futurum, cujus scientia approbationis non est causa; & hoc verissimum est, quia scientia approbationis non est causa nisi eorum, quæ Deus ipse causat & approbat, Deus autem non causat nec approbat peccatum quantum ad formale. Indè tamèn non sequitur, quòd eorum, quæ Deus causat & approbat, scientia approbationis non sit causa.

Ad confirmationem, D. Ant. Non magis pertinet ad scientiam merè speculativam suum objectum efficere, quam ad potentiam activam suam opus intelligere; C. Ant. Ad scientiam, quæ simul est speculativa & practica, N. Ant. Patet in nobis; noster intellectus intelligendo producit verbum, & produciendo intelligit: scientia autem visionis in Deo est simul speculativa & practica, ut patet ex dictis. Insuper, dato Antecedente, infero contra objicentem: ergo scientia simplicis intelligentiæ non est causa rerum.

Objicit 3. Tournely. Libertas creata stare non potest cum ea scientia, quæ virtute decreti absoluti & antecedentis est causa futuræ actionis; atqui scientia visionis virtute decreti absoluti & antecedentis est causa rerum: ergo.

R. 1. Retorquendo argumentum: Libertas creata stare non potest cum ea scientia, quæ virtute decreti absoluti & antecedentis est causa futuræ actionis: atqui scientia simplicis in-

K 2

tel-

telligentiæ est causa rerum virtute decreti absoluti, & antecedentis, scilicet ipsas res: ergo libertas creata stare non potest cum scientia simplicis intelligentiæ. Respondet indubie Tournelius, decretum non esse absolutum, sed indifferens; contendit Thomista, esse absolutum, & determinans. Impertinens est ergo ad assertionem, aut everisionem libertatis actionum nostrarum, quod causentur præciè a scientia simplicis intelligentiæ; vel visionis, si quidem neutra causet nisi virtute decreti; sed hoc repetendum esse ex ipso decreto.

R. 2. Libertas creata stare non potest cum ea scientia, quæ virtute decreti absoluti, & antecedentis est causa rerum, si decretum sit dumtaxat de substantia rerum, C. Min. Si sit de substantia, & modis rerum, consequenter de ipsa libertate, quale est decretum Dei, N. Maj. Sed hæc non sunt presentis controversiæ, fusè infra discutientur.

Objicies 4. Visio intuitiva supponit suum objectum: ergo non facit.

R. D. Ant. ut supra. Visio purè speculativa supponit suum objectum, C. Ant. Visio eminentè speculativa, & præctica, qualis est visio Dei, N. Ant. Sic in supernaturalibus, Pater videndo Filium generat, & generando videt. Sic in naturalibus noster intellectus rem cognoscendo producit verbum, & illud producendo videt. Non ergo requiritur necessario ad visionem objecti, quod illud præcedat visionem; sed sufficit, quod comiteretur.

Instabis 1. Scientia visionis in Deo supponit res futuras: ergo. Prob. Ant. Scientia visionis supponit decretum efficax de futuritione; atqui vi decreti efficacis res sunt futuræ; alias non foret efficax: ergo.

R. N. Ant. Ad prob. D. Min. Atqui vi decreti efficacis res sunt futuræ inchoativè, & quoad affectum, seu intentionem, C. Min. Completè & quoad effectum, seu executionem. N. Min. Quando ergo dicitur voluntas efficacis antecedentè ad actum imperii, seu scientiam visionis, hoc intelligitur in ordine intentionis, & secundum affectum tantum; nondum enim intelligitur plenè efficax in ordine executionis, nisi interveniant aliqui actus requisiti ad executionem; quia, quamvis voluntas efficaciter velit, non tamè efficaciter operatur nisi per potentias executivas, quibus tanquam instrumentis utitur ad operationem ad extrâ, quarum in Deo præcipua, & unica, ut dicam infra, est intellectus imperans.

Instabis 2. Istud decretum efficax non abstrahit a rerum existentia: ergo per illud sunt completè futuræ.

R. D. Ant. Istud decretum non abstrahit a rerum existentia ut volita, C. Ant. Ut executâ, N. Ant. Non sequitur ergo: est efficaciter volita; ergo est efficaciter executâ pro suo tempore. Quia voluntas non mandat executioni nisi mediante imperio.

Instabis 3. Sic se habet scientia in Deo, sicut scientia in artifice, ut sæpe dicit S. Thomas; atqui scientia artificis non fertur intuitivè in artefactum, nisi postquam factum est: ergo.

R. D. Maj. Sic se habet &c. quoad aliquid, C. Maj. Quoad omnia, N. Maj. Disparitas est enim; quod artifex non operetur in instanti, nec solo, & nudo imperio, sed cum mora temporis, & per potentias executivas, quæ non sunt cognoscitivæ. Unde non producit artefactum ipsa visione; sed supponit factum antequam videat. At Deus operatur in instanti, ac nudo, & solo imperio, ut modo dicam; quod imperium pertinet ad scientiam visionis, hoc ipso enim instanti, quo voluntas vult, & intellectus imperat, res sunt pro eo tempore quo vult esse, & æternitas sua amplitudine illas jam præsentès præhabet.

Obj. 5. Ex S. Thom. juxta S. Doctorem hic art. 8. o. Scientia, quæ est causa rerum, ea est, quæ habet adjunctam voluntatem; atqui scientiæ simplicis intelligentiæ adjungitur voluntas: ergo. Item S. Doct. ibid. & art. 9. dicit, quod illa scientia sit causa rerum, quæ, cum sit indifferens ad opposita, determinatur per voluntatem; atqui hæc est scientia simplicis intelligentiæ: ergo.

R. Juxta S. Thom. scientiam, cui adjungitur decretum, & quæ per illud determinatur, hoc ipso fieri scientiam visionis. Dicitur enim scientia simplicis intelligentiæ, inquit S. Doctor quæst. 3. de verit. art. 3. ad 8. quatenus excludit ordinem voluntatis ad res scitas producendas; hoc ipso ergo, quo ei adjungitur ordo voluntatis ad res producendas, desinit esse simplicis intelligentiæ, & fit visionis. Pro cuius ampliori intelligentia re-colendum est, quod antè conclusionem jam observavimus, scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis non esse duas scientias, sed unam, & eandem ex parte Dei: distinguuntur dumtaxat secundum diversam terminationem; quatenus versatur circa res in statu meræ possibilitatis, dicitur simplicis intelligentiæ; quatenus versatur circa res in statu existentie, aut futuritionis, dicitur visionis. Hoc ipso ergo, quo concipitur decretum, quo scientia, quæ erant de possibili, & indifferens, determinatur ad existentiam, seu futuritionem aliquid effectus, pati ransit in scientiam visionis. Sed quia vi solius decreti res

sunt tantum inchoatè futuræ, & quoad affectum, ut dixi prius, fiunt autè completè futuræ, & quoad effectum per actum imperii sequentis decretum; dicimus, quod ille actus imperii, qui est actus intellectus, simul res videt, & facit; unde scientia, quæ prius erat simplicis intelligentiæ, & indifferens, non est vi adjuncti decreti causa rerum in actu secundo, nisi transeundo in scientiam visionis.

Occurrit iterum ex mente D. Thom. Tournely, contenditque, juxta S. Doctorem scientiam approbationis non esse scientiam visionis; quia S. Doctor quæst. 3. de verit. cit. in superiori solutione dicit, *Simplicem notitiam dici ad excludendum admisionem ejus, quod est extra genus notitiæ: sicut est existentia rerum, quam addit scientia visionis, vel ordo voluntatis ad res scitas producendas, quem addit scientia approbationis. Quibus verbis, inquit Tournely, aperte distinguit S. Doctor scientiam visionis a scientia approbationis; quam tamèn Thomista cum scientia visionis gratis omnino, & absque ratione confundunt.*

R. N. Juxta S. Thomam, scientiam approbationis non esse scientiam visionis, idque unquam posse erui ex verbis citatis. Neque tamèn ideò confundimus utramque scientiam, ut nobis durè, & infundatè exprobat Tournely; sed inter utramque distinguimus cum S. Th. sicut inter magis, & minus extensum ita quod scientia visionis magis latè pateat, quam scientia approbationis; & quamvis omnis scientia approbationis sit scientia visionis, non tamèn omnis scientia visionis est scientia approbationis, quia est scientia visionis de peccatis, quæ non est scientia approbationis; & ideò accuratè distinguit S. Th. quod scientia visionis addat scientiæ simplicis intelligentiæ existentiam rerum, & scientia approbationis addat ordinem voluntatis ad eas producendas. At nunquam dicit, aut somniavit S. Thomas, scientiam approbationis non esse visionis. Quin imò ex ipis verbis obiectis breviter, & clarissimè evinco contra Tournelium, juxta S. Th. & scientiam approbationis esse scientiam visionis, & scientiam simplicis intelligentiæ non esse causam rerum. Quantum ad hoc ultimum sic arguo: Scientia approbationis, seu quæ habet adjunctam voluntatem, est causa rerum, ita docet Tournely; atqui S. Thomas discretè asserit in verbis citatis, scientiam simplicis intelligentiæ non esse scientiam approbationis, sed eam excludere: ergo secundum D. Th. scientia simplicis intelligentiæ non est causa rerum. Arguenteurum, ni fallor, est demonstrativum. Quantum ad alterum, paritèr sic arguo. 1. Secundum S. Th. in verbis cit. scientia approbationis non est scientia simplicis intelligentiæ: ergo visionis. Pater consequentia; quia scientia Dei adæquatè dividitur in scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis; saltem mediàm hic non audet ex professo asserere Tournelius 2. Secundum S. Th. loco cit. & omnes Theologos scientia simplicis intelligentiæ dicitur, quatenus respicit præciè essentias rerum, & in statu meræ possibilitatis: scientia visionis dicitur, quatenus respicit res in ordine ad existentiam; atqui scientia approbationis non respicit juxta S. Th. cit. præciè essentias rerum, & in statu meræ possibilitatis, sed in ordine ad existentiam, nimirum ut a se causatas; est enim ipsa, secundum Tournelium, & omnes causas rerum: ergo scientia approbationis est scientia visionis. Jugulum ergo sibi ipse petit Tournelius, dicit hæc ex S. Th. nobis obijcit. Insuper quæ vel per umbram ratio subsesse potest dubitandi de mente S. Doctoris, cum rationes conclusionis nostræ sint ex ipso; & argumentum desumptum ab auctoritate Patrum, quod tantum facit Tournelius cum suis, ipse S. D. hic art. 8. ad 1. Q. 2. de verit. art. 14. ad 1. sibi obijcit, & solvat eo modo, quo nos solvimus?

Objicies 6. Ea scientia est causa rerum in actu secundo, quæ est causa earum in actu primo; quia effectus non potest in actu secundo produci nisi a causa habente virtutem illum producendi; quod est esse effectivum in actu primo; atqui scientia simplicis intelligentiæ secundum nos est causa effectiva rerum in actu primo: ergo.

R. ex dictis, D. Maj. Ea scientia est causa rerum in actu secundo, quæ est causa earum in actu primo, & eodem modo se habet, N. Maj. & diverso modo se habet, C. Maj. Est ergo eadem entitativè scientia, quæ res in actu primo, & secundo efficit; quæ ex parte Dei est unica scientia: sed hoc ipso, quo res e statu possibilitatis ad statum existentie, seu futuritionis transferuntur, scientia, quæ dicebatur scientia simplicis intelligentiæ, dicitur scientia visionis, ut explicavimus prius.

Pro solutione plurimùm aliarum objectionum præ oculis semper habe: 1. scientiam simplicis intelligentiæ esse causam directivam rerum in ordine intentionis, & effectivam in actu primo; 2. scientiam visionis habere duo munia, videre, & efficere, & non efficere quatenus est visionis, sed quatenus approbationis, & ut applicata per decretum divinæ voluntatis. Cetera enim argumenta, quæ congruenter adversarii, alterutrum dumtaxat probant, & nihil aliud.

APPENDIX.

Utrum deus in Deo potentia executiva, virtualitèr distincta ab intellectu, & voluntate?

Quamvis hæc usquè probaverimus, intellectum divinum adjuncta voluntate esse causam effectivam rerum; non tamèn inde absolutè, & necessario sequitur, quod immediatè, & sine concursu alterius potentie efficiat; potest enim stare, quod verè, & quidem in instanti efficiat mediante tamèn distincta potentia executiva. Pro quo

Dico: potentia executiva in Deo non distinguitur virtualitèr ab intellectu, & voluntate tanquam potentia diversa, seu tanquam attributum adequatè distinctum ab illis; sed est eadem potentia cum illis, sub aliqua tamèn distinctione, infra explicanda.

Prob. 1. pars. 1. Quia in natura purè intellectuali nulla admitti debet potentia, nisi pertineat ad gradum intellectuum; atqui ad gradum intellectuum non pertinet aliæ potentie præter intellectum & voluntatem; potentia enim merè executiva est potentia bruta, nullam ex se supponens cognitionem: & ideò S. Th. (Opus. 11. art. 3.) docet, quod in Angelis non sit potentia executiva distincta ab intellectu & voluntate, & quod moveant caelos conceptu efficaci sui intellectus, hoc est, actu imperii virtualitèr transeuntis. 2. Quia potentia executiva distincta a potentia movente, & imperante importat imperfectionem tantè parte imperantis, quam ex parte sui. Ex parte potentie imperantis dicit inefficaciam; ideò enim requiritur potentia executiva distincta a potentia movente & imperante, quia hæc ex se non est sufficienter efficax, ut res sibi subjicit & executioni mandet: sic artifex indiget potentis executivis distinctis, v. gr. facultate motricè, manu, malleo, &c. propter inefficaciam sui imperii. Ex parte sui; quia potentia executiva, distincta ab altera movente, non se habet ut movens, sed ut purè mota per modum instrumenti.

Secunda pars explicatur. Potentia executiva in Deo potest dupliciter intelligi distincta ab intellectu & voluntate. 1. Distinguitur per modum includentis & inclusi, quatenus potentia executiva non est intellectus præciè, neque voluntas præciè, sed utrumque importat, intellectum in recto, voluntatem in obliquo; & sic distinguitur eo ferè modo, quo compositum distinguitur a materia & forma. 2. Distinguitur inadæquatè secundum diversas formalitates, & connotationes intra eandem potentiam. Etenim eadem potentia attingens res ut intelligibiles dicitur intellectus; attingens res dando illis esse dicitur omnipotentia, seu potentia executiva: sicut idem actus intellectus est simul intellectus, & dicitio sub diversâ ratione. Et sic conciliari possunt varii textus D. Thomæ, qui sibi videantur contrarii atque argumenta solvi.

Hinc inferes, potentiam immediatè effectivam rerum esse intellectum, non voluntatem; quia voluntas efficit mediante imperio, quod est actus elicitus ab intellectu. Neque obstat, quod S. Th. q. 2. de verit. art. 14. o. dicit, quod inter scientiam Dei, quæ est causa rerum, & ipsum rem causatam, datur mediùm, scilicet, divina voluntas. Quia sensus est, quod scientia non causet res, nisi interveniente & adjuncta voluntate; non tamèn quod ipsa scientia immediatè non causet: sicut, dum dicit ibidem S. Doctor, quod inter scientiam Dei, quæ est causa rerum, & rem creatam mediè causa secunda, sensus est, quod scientia Dei non causet nisi concurrente causa secunda, non tamèn quod ipsa scientia rem creatam immediatè non attingat.

ARTICULUS IV.

In quo medio Deus cognoscat alia a se?

Nota, aliquid dupliciter cognosci. Uno modo in se ipso, alio modo in altero. (Hic q. 8. art. 5. o.) In se ipso cognoscitur aliquid, quando cognoscitur per speciem propriam adequatam ipsi cognoscibili, sicut cum oculus videt hominem per speciem hominis: & talis species dicitur mediùm quo, & incognitum ut quod, quia facit cognoscere absquè eo quod cognoscatur prius ut quod, sed solum representando objectum. In alio autè videtur, quod videtur per speciem alterius, in quo continetur, sicut cum pars videtur in toto per speciem totius, ut partes in domo per speciem domus, numerus ternarius in senario per speciem senarii; vel cum effectus videtur in causa per speciem cause, vel quocumque alio modo contingat aliquid in alio videri. Et hoc mediùm vocatur mediùm in quo, quod prius debet cognosci, ut ducat in cognitionem alterius. Confer Dissert. 2. art. 10. §. 3. initio.

Deum se ipsum non alio quàm se ipso cognoscere, hoc est essentiam divinam habere simul rationem objecti, & speciei se

ipsum immediatè representantis, constat ex dictis art. 2. §. 1. Undè nunc est solùm difficultas de medio, in quo Deus alia a se cognoscit. Et procedit quæstio de creaturis ut sic, abstracto a statu existentie præteritæ, presentis, aut futuræ: de futuris autè sunt graviores difficultates, de quibus specialitèr dicemus infra. Ceterum presentis difficultatis resolutio producit positioni vel everisioni famosæ Scientiæ mediæ; si enim Deus non cognoscat alia a se, nisi in se ut in causa, corrumpit Scientia mediæ. E contra, si Deus cognoscat alia a se immediatè in se ipsis, locus erit Scientiæ mediæ.

Circa præsentem difficultatem tres sunt præcipuæ Sententiæ: 1. quæ est communis inter Patres Societatis, tenet Deum alia a se utroque modo cognoscere, & mediatè in se ut in causa, & immediatè in se ipsis: 2. quæ est Vasquezii, stat pro sola cognitione immediatâ: 3. quæ est Thomistarum, e contra negat cognitionem immediatam, & solam mediatam admittit. Omitto aliam sententiam, quæ communitèr tribuitur Scoto, secundum quam Deus cognoscit creaturas in aliquo esse dimittit & objectivo, quod ab æterno produxit. Nam, præterquam quod hæc sententia jam sit antiquata, videtur minus consona rationi & fidei. Rationi, quia illud ens dimittit, quod ab æterno creatum gratis fingitur, indigeret alio medio, in quo cognosceretur, sicut alia creata; & de ipso subsisteret difficultas, in quo medio cognosceretur. Fidei, quia juxta fidem; duplicem tantum in Deo productionem agnoscimus, alteram æternam personarum ad intra, alteram temporalem creaturarum ad extra.

Dico: Deus alia a se cognoscit mediatè in se ut in causa præcognita, non immediatè in se ipsis.

Prob. 1. pars. Non potest perfectè comprehendi causa adæquatè, nisi in ea cognoscantur effectus; atqui Deus perfectè comprehendit suam essentiam, quæ est causa omnium adæquatè: ergo. Prob. Maj. Non potest perfectè comprehendi causa, nisi cognoscatur quantum est ex se cognoscibilis; atqui causa continens eminentèr, & adæquatè effectus, est cognoscibilis ut ratio cognitionis illorum: ergo, nisi sic cognoscatur, non cognoscitur quantum est cognoscibilis, adeoque nec comprehenditur. (Ibid. & art. 6. o.)

Prob. utraque pars ab auctoritate Patrum. S. Dionysius ait quisquis antiquus Auctor libri de divinis nomin. cap. 7. dicit Neque enim ea, quæ sunt; ex iis, quæ sunt, discens non dicna mens, sed ex se & in se per causam, rerum omnium cognitionem, scientiam, essentiamque avicipatam & antè comprehensionem habet; non quod per speciem singula consideret, sed quod uno cause complexu omnia sciat & contineat. Igitur Deus res cognoscens, non scientia rerum, sed scientia sui ipsius res cognoscit. S. Aug. l. 83. QQ. q. 49. ait, sacrilegium esse asserere, quod Deus exeat extra se ad aliquid cognoscendum. Quæ verba S. Thomas (Hic art. 8. ad 3.) expendens ait, sic intelligenda esse, non quasi Deus nihil quod sit extra se intueatur; sed quia id, quod est extra ipsum, non intuetur nisi in se ipso. Insuper S. Aug. cognitionem vespertinam, qua res cognoscuntur immediatè in se ipsis, nullibi Deo tribuit, sed solam cognitionem matutinam, qua res in verbo videantur. Quantum ad D. Thomam, is voluntariè cæcavit, qui hæc ipsi sententiam denegat; & ut plura omittam, quæ legi possunt apud Sylviuum art. 5. hujus quæst. 8. sola ejus interpretatio verborum Aug. id evincit: item, dum eundem articulum sic concludit: Sic igitur dicendum, quod Deus se ipsum videt per essentiam suam, alia autè a se videt non in ipsis; sed in se ipso, in quantum essentia sua continet similitudinem aliorum ab ipso. (Q. 2. de verit. art. 3. ad 9.) Intellige similitudinem, non secundum convenientiam in natura, sed secundum representationem effectuum in causa: (1. contr. gent. cap. 46.) similitudo enim effectus in sua causa præexistit, cum omne agens agit sibi simile. Et 1. contr. gent. cit. in margine, dum dicit, Deum cognoscere se ipsum quasi primò & per se naturam, alia verò sicut in essentia sua visa. Id iterum manifestum fiet ex sequentibus probationibus, ab ipso S. Doctore desumptis.

Respondent adversarii, SS. Patres his & similibus verbis denegare Deo scientiam rerum, quæ ab ipsis rebus per earum speciem sit accepta; non verò scientiam, qua immediatè res cognoscatur sive per essentiam ipsas immediatè representantem, sive alièr.

Sed contra. Si Deus cognoscat res immediatè in ipsis, quamvis non per species ab ipsis haustas, ergo singula considerat, & non solum sui, sed rerum notitia eas noscit, quod est contra S. Dionysium: ergo aliquid extra se ipsum intuetur & cognitionem vespertinam habet, quod est contra S. Aug. & S. Thom. Ergo Deus non solum cognoscit res in se ipso, sed in ipsis, quod est iterum manifestè contra S. Thom. Insuper essentiam divinam non posse res immediatè representare, evidens fit ex sequenti probatione.

Prob. iterum utraque pars ratione. (Hic art. 5. o.) 1. Cog-

noscere rem immediate in se ipsa est illam cognoscere per propriam ejus speciem, seu quae illam immediate representet: cognoscere vero rem mediate in altero est illam cognoscere per speciem alterius, id est, per speciem, quae representet alterum, in quo res illa continetur. Patet tum ex praenotamine, quod est D. Thomae, tum quia res eo modo & ordine cognoscuntur, quo per speciem representantur; atqui Deus non cognoscit alia a se per species illis proprias, sed per speciem sibi propriam illum immediate representantem, & alia a se mediate, quatenus sunt in illo ut in causa: ergo. Prob. Minor. Non est in Deo alia species, quam ipsa ejus essentia, ut constat ex antea dictis; atqui essentia Dei, ut species non representat immediate creaturas, sed se ipsum, & in se creaturas ut effectus in causa contentos: ergo. Prob. Min. 1. Essentia Dei est in esse intelligibili per se primo Deus; patet ex terminis; atqui, si immediate representaret creaturas, foret in esse intelligibili ex aequo Deus & creatura: ergo. 2. Representatio immediata per speciem fit ratione similitudinis in natura, vel identitatis cum objecto representato; atqui essentia Dei neque similitudo est in natura, neque eadem cum creaturis: ergo. 3. Deus in ratione objecti adequat suam essentiam in ratione speciei, non enim est minus infinitus in ratione objecti, quam in ratione speciei: ergo, ut species, nihil aliud potest immediate representare quam Deum ipsum, caetera non nisi quatenus in Deo continentur. Patet consequentia; quia alias excederet in representando objectum suum adequatum, quod implicat in terminis.

Vasquez, ut ab hoc invincibili argumento se expediat, nodum non solvit, sed scindit: negat quippe, Deum cognoscere creaturas per speciem.

Sed contra. Haec responsio 1. est contra Aug. & omnes Theologos, qui ex Aug. recipiunt hoc principium: *Ex objecto, & potentia paritur notitia*. 2. Est manifeste contra S. Th. qui hic art. 5. o. & ad 3. & alibi disserte assertit, essentiam esse speciem intelligibilem, qua Deus se, & creaturas cognoscit. 3. Contra rationem; quia cognitio procedit a potentia ut ejus actus vitalis cum assimilatione objecti; atqui, si potentia intellectiva specie objecti non actuetur, non erit ratio, cur potius huic objecto, quam alteri, assimiletur, cur potius hoc objectum cognoscat quam aliud; sicut, si volitio procederet a voluntate sine apprehensione objecti, non esset ratio, cur hoc objectum vellet potius quam aliud. Sicut ergo implicat, voluntatem esse principium volitionis alicujus objecti, nisi media illius apprehensione; ita implicat, intellectum esse principium intellectionis alicujus objecti sine concursu illius, aut vices ejus gerentis. Et ideo caeteri, relicta hac singulari opinione Vasquezii, respondent essentiam divinam representare immediate creaturas; quod esse falsum, demonstravimus.

Prob. 2. utraque pars conclusionis altera ratione. (1. *contr. gent. c. 4.*) Si Deus attingeret creaturas immediate in ipsis independenter ab essentia prius visa, creaturae essent simul cum essentia divina objectum formale, & specificativum intellectus divini, quod admitti non potest: cum specificari ab aliquo sit ab ipso accipere speciem, & perfectionem: ergo. Prob. sequela: illud est objectum formale specificativum, quod per se primo ratione suis, & non ratione alterius, attingitur: ergo.

Solvuntur Objectiones contra 1. partem conclusionis.

Objectiones 1. cum Vasquez. Inter medium cognoscendi & rem cognitam debet esse necessaria connexio, alius non erit medium cognoscendi certo; atqui inter Deum & creaturas non est necessaria connexio: ergo. Probatur Minor. Si inter Deum & creaturas esse necessaria connexio, sequeretur 1. Quod inter Deum & creaturas esset mutua dependentia; in hoc enim sita est necessaria connexio, ut unum sine altero esse non possit, quod arguit mutua dependentiam. Sequeretur 2. quod, sublata possibilitate creaturarum, v. gr. si una musca foret impossibilis, tolleretur Deus. Sequeretur 3. quod possibilitas creaturarum esset aequae necessaria, ac omnipotentia Dei; atqui haec sunt absurda: ergo.

R. N. Minorem: hoc ipso enim, quo Deus est fons & causa necessaria totius entis, ita ut implicet esse aliquid ens, quod non sit a Deo, necessario connectitur cum omnibus entibus. Unde ad 1. probationem nego sequelam: ad necessariam enim connexionem inter duo non requiritur mutua dependentia, sed sufficit, quod unum sic contineat aliud, ut essentialiter & necessario petat istud aliud a se dependere, sic enim intelligitur necessario connexum cum illo, & sine illo esse non posse. Deus autem ut causa omnium sic continet creaturas, ut essentialiter & necessario petat eas a se dependere; consequenter necessario connectitur cum illis, absque eo quod dependeret ab illis. Sic inter essentiam & proprietates est necessaria connexio, quamvis essentia non dependeat a proprietatibus, sed proprietates dumtaxat ab essentia.

Ad 1. probationem D. Sequelam. Sequeretur, quod sublata possibilitate creaturarum, tolleretur Deus a priori, hoc est, quod destructio possibilitatis creaturarum causaret destructionem Dei, N. Sequelam. A posteriori, hoc sensu, quod sublata possibilitate creaturarum legitime inferretur destructio Dei, seu ejus omnipotentiae; C. cum enim res sint possibiles, quia Deus est omnipotens, si forent impossibiles, sequeretur, quod Deus non esset omnipotens, consequenter nec Deus. Verum quidem est, quod res etiam denominantur possibiles ex non repugnantia terminorum; sed cum ista non repugnantia non sit aliquid actu in re possibili, non potest destrui, nisi ex destructione causa.

Ad 3. probationem N. sequelam: potest enim fieri, quod duo sint inter se necessario connexa, & tamen unum sit magis necessarium, quam aliud, quia firmiter nititur fundamentis: sic praemissa sunt magis necessariae, quam conclusio, essentia, quam proprietates, & tamen haec sunt inter se necessario connexa: non enim fieri potest, quod consequens sit falsum, manente antecedente vero, in consequentia necessaria; neque quod proprietates non sint nata sequi ex tali essentia, ea manente.

Instabis: inter causam demonstrativam, & effectum demonstratum debet intercedere saltem tum mutua relatio, tum perfecta assimilatio; dissimile enim non cognoscitur in dissimili ut in medio: atqui neutra intercedit inter Deum, & creaturas: ergo.

R. ad 1. partem Majoris ea probari, si quid probet, nedum creaturas non esse cognoscibiles in Deo ut in causa, sed ne quidem Deum esse illarum causam, cum inter causam, & effectum etiam abstrahendo ab hoc, quod effectus cognoscatur in causa, intercedat mutua relatio. Dicendum itaque, id dumtaxat esse, verum, quando causa & effectus sunt ejusdem ordinis; secus, si sint diversi ordinis, tunc namque sufficit, ut id, quod est inferioris ordinis, dicat relationem ad id, quod est superioris ordinis. Sic B. Virgo dicit relationem ad Christum, Christus autem propter suppositum divinum non dicit relationem ad B. Virginem.

Ad 2. partem Majoris, R. esse veram de cognitione immediata per speciem: quia species est ipsa res cognita in esse intelligibili. Quantum autem ad cognitionem mediatam in causa, potest dissimile cognosci in dissimili, modo dissimilitudo proveniat non ex defectu, sed ex excessu; ita quod medium cognitionis contineat omnes perfectiones rei cognitae, & alias plures; sic cognoscimus numerum ternarium in senario, & animal in homine: Deus autem est dissimilis creaturae, non quod careat perfectionibus, quae sunt in creaturis, sed quia illas habet, & infinite plures.

Objectiones 2. Deus est causa creaturarum, quatenus est omnipotens; atqui scientia in Deo modo nostro concipiendi praecedit omnipotentiam; est enim omnipotentiae directiva: ergo Deus prius cognoscit creaturas, quam cognoscat eas in se ut in causa.

R. D. Maj. Deus est causa creaturarum, quatenus est omnipotens radicaliter, C. Maj. Hoc autem habet per essentiam. Quatenus est omnipotens formaliter, subdistinguo: est causa proxima, C. Maj. Radicalis, N. Maj. Porro dato, quod scientia praecedat omnipotentiam formalem, quia haec est attributum consequens ad intelligere, sed potius ipsum intelligere ut practicum; ut dixi art. praec. non tamen radicalem. Hoc ipso ergo quo Deus essentiam suam cognoscit, creaturas cognoscit in se ut in causa radicali. Insuper, quando dicimus Deum videre creaturas in essentia sua tanquam in causa, causa comprehendit omnia attributa radicalia, quae concurrere possunt ad effectuationem creaturarum, ut sunt ideae, ars, intellectus dirigens, voluntas movens, potentia exequens, quae, ut dixi prius, nihil est aliud quam ipsa scientia practicae practica; unde scientia speculativa res cognoscit in essentia, ut est practicae practicae, & executiva.

Objectiones 3. Cognoscere aliquid in causa est cognoscere discursive; atqui Deus non discurret: ergo.

R. D. Maj. Cognoscere aliquid in causa pluribus actibus est cognoscere discursive, C. Maj. Unico actu, N. Maj. Tunc enim solum dicitur intellectus discurrere de uno ad aliud, quando diversa apprehensione unum, & aliud apprehendit; secus, dum causam & effectum, & effectum in causa, non simpliciter actu attingit, ut facit Deus. Et ideo non dicimus proprie Deum cognoscere alia a se per causam, sed in causa. Et dum dicimus, quod cognoscat alia a se in se ut in causa prius cognita, *To prius*, non dicit prioritatem temporis, sed ordinis, & rationis. (Q. 2. de verit. art. 3. ad 3.)

Objectiones 4. Angelus comprehendit suam essentiam, & tamen non cognoscit omnes intellectiones, quas formare potest: ergo nec Deus omnes creaturas, quas formare potest.

R. N. C. Disparitas est, quod essentia Angeli non sit cau-

sa adequata, & completa omnium intellectionum, quas formare potest, sed indiget ad hoc compleri per species omnium intellectionum possibilem; Deus autem est causa adequata, & completa omnium entium.

Instabis: Deus non est causa adequata actuum vitalium: ergo.

R. N. Ant. Quamvis enim Deus non sit causa formalis actus vitalis, sub formalitate vitalitatis, hoc est, quatenus est a principio intrinseco se movente, non enim dum video, Deus videt per visionem meam; quidquid tamen est entitatis, & perfectionis in actu vitali est a Deo, & in ipso eminenter continetur.

Repones: Deus non est causa adequata possibilitatis rerum: ergo. Prob. Ant. Possibilitas rerum non solum repetitur ex omnipotentia Dei, sed ex habitudine seu non repugnantia terminorum: ergo.

R. D. Ant. Deus non est causa adequata possibilitatis rerum, causalitate exercibili ad eorum possibilitatem, C. Ant. Causalitate exercibili ad eorum existentiam, ad quam sunt possibiles. N. Ant. Possibilitas enim, seu non repugnantia rerum non est ad existendum a se, sed a Deo.

Urgebis: Deus non est causa entium rationis, neque privationum, neque peccatorum; atqui tamen ea cognoscit: ergo.

R. Quantum ad entia rationis Deum esse illorum causam mediatam, quatenus est causa intellectionum nostrarum, quidem entia rationis fingimus: cum ergo intellectiones in se ut in causa cognoscit, cognoscit etiam earum objecta, quae sunt entia rationis.

Quantum ad privationes, item & mala sive physica, sive moralia, scilicet peccata, quae sunt entia privationes, Deus ea cognoscit in formis oppositis; formas autem oppositas, cum sit eorum causa, cognoscit in se ut in causa, & sic verum manet, quod Deus alia a se cognoscit in se ut in causa, sive mediate, sive immediate. (Hic art. 10. o. & ad 2.) Confer. art. 2. hujus diss. §. 1. *Dices* 4. Require etiam in eodem §. quaedam alia argumenta hic spectantia.

Solvuntur objectiones contra 2. partem Conclusionis.

Obj. 1. Deus cognoscit veritates creatas, omni modo quo sunt cognoscibiles; atqui non solum sunt cognoscibiles mediate in causa, sed immediate in se ipsis, sic enim Angeli, sic nos eas cognoscimus: ergo. Haec est praecipua ratio Adversariorum.

R. D. Maj. Deus cognoscit veritates creatas omni modo, quo sunt cognoscibiles ex parte objecti cogniti, C. Maj. Ex parte cognoscentis, N. Maj. Nulla est ergo cognoscibilitas in creaturis, quae subterfugiat scientiam Dei; sed non est necesse, quod illas cognoscat omnibus modis, quibus alii cognoscentes eas cognoscere possunt: alioquin deberet illas cognoscere discursive, & abstrahendo a materia, cum sic nos eas cognoscamus. Sicut ergo Deus non cognoscit creaturas discursive, & abstrahendo a materia, quia tales modi cognoscendi important imperfectionem; ita non cognoscit eas immediate in ipsis, quia hujusmodi cognitio importat etiam imperfectionem. 1. Namque intellectus divinus deberet informari specie creata creaturas immediate representante, cum essentia divina illas immediate representarent non possit, ut probavimus. 2. Deberet specificari ab ipsis creaturis, ut etiam probavimus.

Instabis. 1. Cognitio rei in se ipsa est perfectior, quam cognitio ejus in alio: ergo haec non debet Deo denegari. Prob. Ant. ex D. Th. hic art. 10. ad 4. dicente, quod *cognoscere aliquid per aliud tantum, est imperfecte cognitio, si illud sit cognoscibile per se*. 2. ab exemplo: perfectius est videre hominem in se ipso, quam in speculo. 3. ratione: quia cognitio rei in alio est abstractiva, cognitio vero rei in se est intuitiva.

R. D. Ant. Cognitio rei in se ipsa est perfectior, quam cognitio ejus in alio, si res minus perfecte contineatur in alio quam sit in se ipsa, C. Ant. Si res aequae perfecte, & perfectius contineatur in alio, quam sit in se ipsa, N. Ant. Res autem in Deo utpote prima, & universalis causa effectiva, & exemplari perfectius continetur quoad omnes suas differentias, & perfectiones, quam sint in se ipsis, & ideo perfectius, & clarius videntur in Deo, quam in se. Unde Aug. rerum cognitionem in Deo vocat maturantem, id est, clariorem; & rerum cognitionem in ipsis vocat vespertinam, id est, obscuriorem. Et hinc patet responsio ad probationes Ant. Igitur ad 1. R. S. Th. intelligendum esse ad sensum distinctionis datae, nimirum quod cognitio unius

in alio sit imperfecta, si imperfecte in alio contineatur. Ad 2. patet disparitas; quia homo minus perfecte contineatur in speculo, quam sit in se ipso. Ad 3. R. cognitionem non dici abstractivam ex eo, quod immediate aut mediate rem cognoscat, sed abstractiva dicitur, quae rei essentiam, & non existentiam attingit; Intuitiva, quae attingit rei existentiam, & modum quo est in se: sic autem attingi potest cum medio, si in illo res representetur quoad existentiam, & modum quo est in se, & ita res representantur in Deo. Unde cognitio, quam Deus habet de rebus tantum possibilem, est abstractiva; quam autem habet de rebus praeteritis, praesentibus, aut futuris, est intuitiva.

Instabis: Res in Deo non sunt formaliter, Deus enim non est formaliter homo: ergo non aequae perfecte eas cognoscit in se, quam in ipsis.

R. 1. N. C. Licet enim res non sint in Deo formaliter, sunt tamen in eo causaliter, & eminenter, & sic perfectius, quam in se ipsis. Unde R. 2. D. Ant. Non sunt in Deo formaliter in esse entitativo, C. Ant. In esse representativo, N. Ant. Hoc ipso enim quo essentia divina est causa tum effectiva, tum exemplaris, & artificialis rerum, eas ut sunt a parte rei, in se representant.

Repones a contrario sensu. Res sunt a parte rei variis defectibus obnoxiae; atqui in Deo sunt ab omni defectu pure, & nullus enim in Deo reperitur: ergo Deus non potest eas cognoscere ut sunt a parte rei per id quod sunt in eo. Vide art. 2. hujus diss. §. 1. praesertim *Dices* 3.

R. D. Min. Res, ut sunt in Deo entitative, sunt ab omni defectu pure, C. Min. Ut sunt in Deo representative, N. Min. Cum enim, ut antea diximus, defectus cognoscantur per perfectiones oppositas, ut represententur defectus cognoscenti, non est necesse, quod sint in medio, in quo cognoscuntur, sed potius quod sint perfectiones oppositae. Sic v. gr. in numero senario cognosco ternarium cum imperfectione qua deficit a senario, & tamen senarius non continet hanc imperfectionem, sed potius oppositam perfectionem.

Urgebis: qui videt ideam domus perfectae, & non videt domum in se ipsa, non videt hujus defectus, quia nulli sunt in tali idea, sed domui accidunt, ut est a parte rei: ergo similiter Deus.

R. N. C. Disparitas est, quod Deus sit causa omnium, quae sunt in re, & ideo nullus defectus ei ut est in re accidere potest, nisi Deus ipsum permittat, & ordinet ad fines suos, consequenter nisi eum cognoscat. At non sic artifex aut idea, cum enim non sint causa omnium, quae concurrunt ad constructionem domus, possunt illi accidere defectus ex aliquo, quod in idea non continetur.

Obj. 2. quaedam testimonia D. Th. quae videntur militare contra utramque partem Conclusionis. 1. S. Th. 1. contr. gent. c. 57. dicit, quod *essentia divina se habet ad alia, non sicut principium ad conclusiones, sed sicut species ad res cognitivas*: ergo juxta S. Th. Deus non cognoscit res in se ut in causa, sed immediate in ipsis. 2. S. Doct. hic art. 7. ad 2. dicit, quod *Deus non cognoscat per causam prius cognitam effectus incognitos, sed eos cognoscit in causa*: ergo idem quod prius. 3. Infra q. 20. art. 2. ad 2. dicit, quod *Deus ab aeterno cognoscit res in propriis naturis... sicut & nos per similitudines rerum, quae in nobis sunt, cognoscimus res in se ipsis existentes*: ergo idem.

R. Ad 1. Sensum D. Thom. esse, quod essentia divina non se habeat ut principium ad conclusiones respectu creaturarum, quantum ad modum discursus, quia non manifestat modo illativo, sed unica, & simplici representatione cause, & effectus; & sic magis habet modum speciei, quamvis tamen non representet immediate creaturas, sed essentiam divinam, & illa mediante creaturas. Eodem sensu est intelligenda 2. autoritas etiam *To per causam* importat discursum, non *To in causa*; unde ibidem concludit S. Doctor, quod *Dei cognitio sit sine discursu* Quapropter D. consequens: ergo juxta S. Th. Deus non cognoscit creaturas in sua essentia tanquam in causa ex parte modi cognoscendi, nempe per discursum, C. Conseq. Ex parte rei cognitae, N. Conseq. Essentia divina enim est ratio, ad quam ut ad rem cognitam reducitur cognitio creaturarum. Ad 3. R. S. Th. in hoc tantum facere comparisonem, quod sicut nos per species cognoscimus res in propriis naturis, ita Deus ab aeterno cognoscit res in propriis naturis, & non solum quoad esse eminentiale, quod habent in Deo: patet ex argumento, quod sibi objicit, & cui respondet Sanctus Doctor, quod nihil aliud exigit: cum hoc autem stat, quod eas videat in se ut in causa. Confer art. 2. §. 1. conclus. 2. & in sol. obj.